
er
trun
lma



collationné le 16




0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10

LAPIS
PHILOSOPHICVS
DOGMATICORVM.

Quo paracelsista Libauius restituitur, Scholæ Medicæ Parisiensis iudicium de Chymicis declaratur, Censura in adulteria & fraudes Parachymicorum deffenditur, asserto veræ Alchemiæ honore.

Per P. Palmarium Doctorem Parisiensem Galeno-chymicum.

Ad Illustrißimum Cardinalem Perronium.

Adiecta est Historia Læprosæ Mulieris Persanatæ.





PARISIIS.
Apud DAVIDEM DOVLCEVR, via Iacobea ad Mercurium inuolucrem.
1609.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Paracelsus lib. 5. Archidox.

Illius Philoſophorum lapidis qui ſcribitur ab alijs diuerſimodè, author non ſum nec executor, minùs indagator in eo, tanquam de hoc loquerer ex auditu vel ex lectura. Quare cum eius nullam certitudinem habeam, proceſſum illius relinquens, &c. Verum meus iuxta proceſſum eorum non eſt præparatus cum illum hoc loco non intelligamus, nec etiam cognoſcamus, &c.

Libauius Epiſto. ad Lectorem.

Notabis me de lapide Philoſophorum aliquid addidiſſe ex artificum ſententia, etiam ſi eam nec ego nec tu poſſimus aſſequi.

In Antigrammanijs Pa. 375.

Quercetanus, Porta, Dorneſius, Paracelſus &c. de ſale ſulphure oleo & quæ ex fæcibus eliciunt dum affirmant, neceſſe eſt ingentem errorem circa eſſentias eorum committi, vnde conſequens eſt neſcire eos quid præbeant. Extractiones veterum veræ non id præ ſe ferunt quod illi ſtolidi Paracelſici.



ILLVSTRISSIMO AC Reuerendiſſimo D.D. Cardinali Perronio. Senonum Archiepiſcopo Galliarum & Germaniæ Primati, Magno Franciæ Eleemoſynario & Torquati ordinis Antiſtit. i.

P. Palmarius.



VM ſis in ea muneris dignitate cõſtitutus (Cardinalis Illuſtriſſime) vbi nullum tempus excipere poſſis quod non grauioribus & Eccleſiæ totius & Galliarum negotijs ſurreptum videatur, ne peccem in Rempublicam, magnopere vereor tuis interuenire occupationibus. Inducit nihilominus tuum illud incredibile ſcientiarum illu-

strandarum desiderium, vt ad sublime tuæ eruditionis tribunal afferam, quam medici de suis finibus cum Paracelsistis habent controuersiam. Patieris lubens, spero hanc interpellationem, & si non molestum est, ei te seu arbitrum adhibebis, siue te iudicem feres. Te quem nemo ejurare poßit, apud quem peierare nullus ausit, qui sacramento fuerit prouocatus. Ea est tui nominis, tuæ dignitatis, tuæ singularis in omni scientiarum genere doctrinæ atque adeo in sanctißimo Ecclesiæ Apostolicæ Senatu, in augustißimo Regis Christianißimi Consilio, in Gallia non modo, sed & in exteris nationibus cognitæ iamdiu & spectatæ æquitatis authoritas.

Medicina quam Philosophiæ sororem amas & colis, hîc deffenditur à Neophytorum imposturis; adiungitur Alchymia illa veterum, quæ accuratiore & secretiore medicamentorum præparatione Pharmaciam illustrat. Magna equidem illa & peruetus: non quæ impostorem Paracelsum agnoscat authorem, non quæ patronum Libauium, hominem argutum magis quam doctum, ingentis illius mysterij imperitißimum: sed a veterum sapientißimis exculta, tropis descripta, & fabulis inuoluta, ne improbi tanto thesauro potiren-

tur. Sunt qui huius explicatione Poetarum figmenta resoluant adeo apertè, vt nihil facilius videatur. Sic Moly est Homericum, Nepenthes, ἄλυπον Helenes pharmacum. Pollicetur enim generale morborum omnium medicamentum, orbem remediorum & quasi ἐγκυκλοφαρμακόν. Hoc Medea Aesonem in iuuentutem restituit; Hoc Aesculapius deploratos quasi ad vitam reuocauit; Hoc Phœbus draconem id est morbos extinxit. Ramus est aureus a Virgilio descriptus, quo Midas Baccho annuente, omnia in aurum mutabat; quo Iupiter aquila, id est volatilis factus, in cœlum cum Ganimede subuolauit. Multi ex Simplicio, veteres interprætantur de principijs huius operis, contra quos ad literam disputauit Aristoteles. Atomi per aërem volitantes, scintillæ sunt mercurij & sulphuris, quibus micat eorum materia, quæ futuram testentur generationem, per mutuum congressum. Democriti solutionem & concretionem arguunt materiæ motiones. Plurima sunt his similia quæ hoc studium non adeò nouum doceant. Huius autem labores ad sublunaria translati, Pharmaciam dabunt suis numeris absolutißimam; dùm deleteria omnem cacoethiam exuunt, venenata & venena ipsa,

vim lethæam permutant ſalutiferæ, ingratum ſaporem, amarum, acrem, acidum, deponunt, vt poſtea donentur grato & voluntario. Ignem habent huius artis Profeſſores, liquorem mirabilem, tantorum bonorum authorem: vt iam ſit tutus medicamentorum vſus; vt iam morbi maximi, validiſſimis expugnentur præſidijs, nulla naturæ illata noxa. Qua fortè cauſa illi non pauci hactenus inſuperabiles habiti ſunt.

Tenebrio Paracelſus ex malè intellectis veterum præceptis, in metallurgia nihil proficiens, Phyſicam & Medicinam ſubruere conatus eſt. Alia principia, alia elementa, mundi pro certiſſimis proclamauit, quod videret illa ex incōcinnis operationibus oriunda, deluſus à literali Doctorum ſenſu. Aſſerunt metalla in primam materiam eſſe reſoluenda, id eſt in ſulphur & mercurium; ſed mentis non manus operatione id conſequi volūt. Et noſtri Ariſtarchi vbi igne calcinante omnia in aquā oleum & ſalem dederunt, iurant hæc ipſa habuiſſe Naturam in conſtituendo. Andreas Libauius, Paracelſi deprauationes ſequutus, ex talibus impoſturis opus condidit Alchemiæ nomine euulgatum. In illo & medica & metallica deturpantur. Vt vera Alchemia duo pro-

ponit beneficia, sic hæc impostura duo malesicia. Vt inde metallorum & hominum sanitas, sic hinc horum & illorum morbus, mors. Schola Medicinæ Parisiensis vtrumque damnauit, quod nullus magis impunè metallum læserit quam hominem. Ex læso metallo monetarum adulteria, ex læsa sanitate homicidia nascuntur. Hîc de vitæ, illic de bonorum amißione agitur. Illîc maiestas regia, hîc diuina attingitur. Libauij artificium tam multorum reus est criminum. In quibus explicandis & docendis Aristotelis pholosophia exploditur. Hippocratis & Galeni medicina conculcatur. Dogmata sunt nexibus Caßioticis intricata, ita ἄπορα, Doctrina tota tam opaca furuáue circunfusa fuligine, vt neque ipsius Appollinis face poßit illustrari. His præclaris beneficijs quasi præclarè de genere humano meriti Sycophantæ, non solum artem, sed & artifices eius principes ausi sunt accusare, & multorum criminum subscriptionem edere. Quæ si vera sunt, causam non dico, quin postulationem longè grauiorem meriti sint, & ego qui eorum aduocationem suscipio, legum subire sanctiones. Rem cognosces, Cardinalis Illustrißime, & vt soles nihil dabis gratiæ, pro merito sententiam fe-

res. Spero me consequuturum vt fias alter Hercules ἀλεξικακὸς aduersus hoc monstrum. Fies & nouo vinculo verè adamantino non modo Gallias sed & cæteras Nationes, tuæ dignitati, tuæ fortitudini deuincies. non minùs hoc beneficio quam cæterarum rerum magnitudine, nominis tui memoriam consecrabis immortalitati.



LECTORI PALMARIVS.

MIRABERIS fortaſſe, Lector, quod contra Andream Libauium ſcripſerim; contra eum qui Alchimiam, ſi non in poſſeſſione, ſaltem in votis habet; ſi non tenet, ſaltem laudat, optat, ambit. Multis perſuaſum audis, illum plurimum poſſe in hac arte. Iactatur extructa Alchemia eius nomine. Vides in auxilium veniſſe Quercetano, Turqueto, Aurelianenſibus, confectis ab inuicto Riolano. Scilicet hi artis magnates, ſi Dijs placet, omnium maximo, peritiſſimo, artis textori, tanquam Deo Tutelari & ἀλεξικάκῳ, Alchemica crediderunt. Huic vni ex aſſe hæredi, quaſi condito teſtamento & abdicato magiſtratu, ſua delegarunt iura & officia. Libauius triumphator, victor auguſtus, μέγας ἄρχος ἁπάντων, ſupplicũ ſpolia & epiſtolia profert. Sic inuocatus &

rogatus, ſuccumbentibus amicis ſuccurrit & occurrit. Dicebatur impar congreſſus Achillis cum Troilo. Tùm ſtultè exultauit vt Gigas Libauius, venit non de vno Riolano, non de Schola Pariſienſi, ſed de tota Galenia, ſed de ſcipſo, de ſuis Antigrammanijs, Neo Paracelſicis, de ſuo Aſclepiade rediuiuo, triumphaturus. Inſignis ſcilicet, abſoluta victoria, ſcipſum ſuperare, errores agnoſcere confiteri. Hoc magnis ingenijs ſolemne & glorioſum. Vidiſſe ſtatim ac viciſſe creditur, indicto omnibus ſilentio, ductis in Triumphum Pariſienſibus non Alchemica, ſed Libauiana id eſt Paracelſica refutantibus. Iam

------*Fortuna ruebat*
Sidonia, ad Rutulos victoria verteret alas.

Iam inuolucre erat Libauianæ victoriæ ſimulachrum. Miraberis vero, cur reſiſtam per Chymiæ placita. Ego qui tanti Alchemiam facio; qui poſſim illam merito laudare, & Libauium vituperare. Annon animus ab hoc dicendi & docendi officio, manus à munere ſcribendi abſtinet? An-non ſtupeſcit

hæretque calamus chymicus, ſi contra Chymiam dicendum eſt? Graue equidem, id fuit nobis quod & medici & Chymici nomen proferretur. Hoc, fateor, diutius calamum retinuit, tam diuturni ſilentij cauſa fuit.

Ah querimur calamo craſſius quod pendeat humor,
Nigra quod infuſa vaneſcat ſæpia Lympha.

Sed zelus, ſed ſtudium boni publici, tantum potuit apud me. Vidi Libauium deſertorem veritatis medicæ, transfugam turpiſſimum, ad factionem Paracelſiſtarum deuolaſſe. Vidi illum veræ Alchemiæ rudem, ignarum prorſus, eam tamen nominando cæteras ſcientias arroganter vapulare: quinetiam ipſiſſimam vulnerare impoſturâ in metallicis, qua fallitur bonum publicum fraude in medicamentis, qua rei medicæ obeſt plurimum: Et his armis indutus audax nebulo, auſus eſt Pariſienſes prouocare, Scholæ ſaluberrimæ conuitiari. Creuit tum apud me ex dignitatis gradu atrocitas iniuriæ, & in vnius ordinis læſione, multa dignitatum nomina & numina ſimul violata

sunt. Adde quod his næuis, his cicatricibus ita deturpatus, ita confossus est, vt ipsum Libauium in Libauio, id est Galenum in Paracelso non agnosceres. Eheu

------ *Quantum mutatus ab illo.*
Hectore, qui redit exuuias indutus Achillis!

Licuit Libauio contra Claueum chymicum scribere, nulli iniurium, sed artis propugnatorem. Licebit-ne nobis Libauio, & metalla & medicamenta adulteranti resistere? maculas matri honorandæ inustas, spongia hac nostra abstergere? Turpe est tacere, inquit Philosophus, cũ alter obloquitur; turpissimum silentium, cum veritas opprimitur: damnosum in eo ministerio, quod mortalium vitam & salutem spectat: Medicus est vir bonus. Boni est non solum à malo abstinere, sed omnem illius occasionem præcidere, malum præsens suffocare. Si Alchemia Libauij manet, manet doctrina publica de fallendis medicamentis, monetis, metallis. Iam vbi sanitas Reipublicæ & medicæ? Nostrum ergo fuit, hæc maleficia refellere, calumniatori &

mendaci Libauio, pro Schola Parisiensi satisfacere, imò pro bono publico. Nonnulla de veritate Alchemiæ nouimus, pauca deguſtauimus, ſed quæ ſint pluſquam ſatis, contra iſthæc portenta. Facilè eſt caduca fundamenta diruere, ſolo æquare. corruet totum artificium. Falſa proponit Libauius lapidis principia, falſa elementa: non capit imò ne videt quidem illius labores, non materiam, non ignem. Aurum vulgare, mortuum, fatuum, celebrat; mercurium vulgarem, ouum venti adiungit; aquas fortes, deſtruentes, non vitales, pro igne habet. In medicamentis ſingularibus falſus quoque eſt. impura ſunt & ſophiſtica, quæcunqne proponit artificia, ſapientibus inaudita. vbique peccat grauiter. Perderet credulos tali fidentes aurificio. Perderet medicos ex his præceptis & vniuerſale, & particularia ſperantes. Inrereſt ergo ſalutis publicæ in hæc animaduertere. Iam apud idiotas inualuit opinio de eiuſmodi ſophiſticis. Impoſturæ & fraudes medicamentorum, communi omnium applauſu exceptæ & receptæ videntur, ſpre-

ta quaſi fereque abiecta ſalutari veterum methodo. Audias diſcrimam veteris & nouæ artis.

-----*Cœpit falſæ pietatis imago*
Ire per ignaros nebuloſo errore nepotes.

Ex ignoratione verborum, admirationem aucupantur impoſtores. In rebus ſpinoſis ſæpias imitantur, Rei difficultate capti, ſymptomatum magnitudine attoniti, atramenti eiaculatione occultantur. Ad Alchemiæ impoſtoriæ placita recurrunt. Eam iurant veterum Philoſophorum decretis probatam. obganniunt impura ſulphura, peregrinos ſales, agreſtes mercurios, quibus natura laceſſitur. Cauſantur tartara, marmora, gypſa, alabaſtra, pro morborum efficientibus. Nihil niſi grande ſpirant in curatione. Aſtra de cœlo detrahuntur vi pluſquam præſtigiatrice. Propinant aſtrales medicamentorum virtutes. Spiritus pollicentur ἐργοδιώκτας veros, a communi elementorum conditione emancipatos. Elementa ſordent. Ethnico Galeno relinquuntur. Solum cæleſte nominatur, laudatur, venditur, ex Paracelſo mutuandum. Nullum

bonum, nihil beatum, quod non ſit Paracelſicum. Libauius huic Hydræ patrocinatur. Propugnat eius placita, quibus cæteris ſcientijs bellum facit. Phyſicorum & medicorum theoremata ſubuertit, de rerum principijs, de cauſis morborum & curationum. Axioma vulgatum ſanationis per contraria explodit, mutatque in contrarium. Quod alimentis debetur, medicamentis tribuit. cum ſanitas ſeruetur ſimilibus, tanquam ſimile ſimili, non videt morbos contrarijs abigendos. Morbos a plethora, ſanat πολυχυμοις alimentis: vt ſeruetur ſimilitudo naturæ & morbi, non detrahit ſanguinem copioſiorem, ſed addit onus oneri, plethoram plethoræ.

Non ita pridem huius farinæ medicus vocatur ad curandam ophthalmiam ſanguineam, in corpore plethorico. De remedijs ſimilibus cogitans, venæ ſectionem contempnit, vituperat præſidium illis Pariſienſibus, adeo familiare. Aduocatur arcanum Monarchæ non reuelandum, quod momento morbum ſimilitudine, profliget,

Sic erant docendi Parisienses. Persicariæ admouentur folia oculo inflammato. Incenditur oculus, medicamentum quarto fere gradu calidum admouetur. Ite ergo triumphales circum sua tempora lauri. Nouit secreta Prophetæ Paracelsi. Librum fecit de persicaria, commendatur morbis ocularibus. Sic est medicandum Parisienses: Discite medicinam moniti, & non temnere diuum. At, ô bone Deus, quanto & quam crudeli dolore experitur remedium? Iurauit ægra ignem adfuisse. Intrepidè tamen iubetur iteratio arcani. Symptomata exasperantur. Misella astrale remedium abijcit. Ego vocatus rideo homonymiam ignari discipuli. Moneo Paracelsum nomine persicariæ vitriolum voluisse, quod adstringendi facultate oculis prodest. Tale qui pro quo in Pharmacopæo puniretur. Sanguinem vero bis & ter detraho; cucurbitulas cum scarificatu admoueo; catharticum propino; colliria instituo etiam cum opiaticis in tanto ardore: tandem iustis præsidijs cedunt symptomata. Sic sphynges Oedipi sui resoluunt ænigmata.

ta. Alius

ta. Alius ad monſtrum pollicitator, admirationem ab amico affectans, illum deludit in ſperato aurificio, callidè ſuppoſito crucibulo aurum continente. Totum ſe dediſſet amicus, arti addiſcendæ, niſi ab oculatiore fraus obſeruata fuiſſet. Perlas quoque vxorias frixit in ſartagine, inde calcinationem ratus. Sic non parcunt dilectis. Heſternis diebus aduolauit alius, Corytheo deformior, Alpibus gibboſior μονογεράμμος, ex pharmacaria medicaſtrum ſimulans, qui & Paracelſum & ſuperiora omnia deſpicatus, ſola iurat herbarum confortatiua. hoc ſalutari nomine plebecula luditur confidentius.

Sic nomine diuinæ Alchemiæ, malum pro bono offertur & producitur, contra proprium votum. Sic artium regina traducitur, ab illis Alchemiſtis nequam. Quid enim illi omnes veri? Diſperеam ſi vnquam honoratiſſimam virginem reuelatam viderint: ſi vel aliquantulum pateat ex eorum operibus. Et tamem nihil aliud in ore circonſonant. Eſſentias rerum clamitant, & corpora vix pura nouerunt. Magiſteria

iurant ſapientum, & ignorant prorſus tanta myſteria. Medicamenta neſciunt præparare cum virium & proprietatum conſeruatione. Totam Alchymiam conſtituunt, in ſeparatione aquæ; olei & ſalis. Hæc tria proclamant rerum architectos, facultatum theſauros, eſſentias, cauſas effectrices: Quaſi dum lac abit, in ſerum, butyrum, & caſeum, tres natæ ſint lactis eſſentiæ. Quaſi butyrum ſiue ſulphur pro lacte deuoretur. Idem de tinctura, de eſſentia, de ſale coralli, vnionum, quibus nihil habent frequentius. Dum ergo tibi ſal rhabarbari offertur, pro ipſius eſſentia, caue ab impoſtura, Lector. Vera Alchymia talia non tulit monſtra. Sacra ſua longè aliter conſtant. Diuina ſunt & miraculis proxima eius beneficia. Quæ tamen & ſuis ex cauſis pendent, & in naturæ ſinu requieſcunt. ſunt in Regno, in poſſeſſione ſapientum.

Medici veteres, Mercurius, Oſiris, Appollo, Aeſculapius, dij ſunt habiti, quod morbos lethales extirparent, medicamentis validiſſimis, helleboro, peplio, laureola colocynthide. Fœlices

quod fortis ægrotantium ὕπαρξις horum etiam deleteriorum impetum sustinebat; morborum sæuitiam valentius coercebat; duo erant contra vnum etiam Herculeum. Nunc quod sint contraria omnia Medici viuunt inglorij. At genuina Alchemia, ipsissima pollicetur quæ maiores. Imò audet maiora & fœliciora omnia. Alimenta habet medicamentosa, quibus natura mortalium effœta ac labascens restituatur. Medicamenta illa magna sic præparat, vt cacoëthia omnis transeat in salutarem facultatem; Vim lætheam permutat salutiferæ. Sed facilitate & iucunditate admirabili, dulcedine tanta quæ vincat non inuitos; quæ suadeat, non cogat ad morborum præsentium pugnam, ad futurorum prophilaxim. Aloë, colocynthis, senna, helleborus, hoc artificio mansuescunt, ingratum saporem & cacoëthiam deponunt, inuiolata purgatrice. Sic naturæ beneficio, lac nutricis medicatæ fit dulce & purgatorium. Sic lac capræ helleboro nutritæ. Sic anates, gallinæ, sturni, aluntur serpentibus, cicuta; & nos demum his


auibus menſas noſtras oneramus innoxiè. Sublimatum quod valdè vrit, horulæ ſpatio euadit ἄποιον manente eadem corporis mole, nulla detractione, nulla additione. Arſenicum, ſandaracha Græcorum, realgar, quo nullum præſentius venenum, aſcendit tamen in Panaceæ locum, vt ſit deploratorum affectuum inuictum remedium. Præclara hæc quidem ſunt veræ ſcientiæ iura. quæ qui nouit medicus, verè eſt ἐχθρὸς νόσων: talia medicamenta verè, ſunt θεῖον χεῖρες. Tantum medicinæ beneficium, medici exaltabit caput. Propter illud à Rege munus accipiet, & in conſpectu magnatorum collaudabitur. Annon illud lignum eſt quo dulcoratur aqua amara? Ignem enim inuenit hæc profeſſio, cuius ope tanta nobis veniunt bona. Nihil eo vtilius, nihil admirabilius excogitauit humana ſapientia.

Sed hi noſtri Ariſtarchi, ea-ne poſſunt? Dic ſodes Libaui, hoc ne docetur in tua Alchemia? ô ars ſancta; ars beata, itane viribus deſtituta & intermortua iaces, ſi illi te poſſident? Quidni maiora oſtentas ſi cum illis es? Abſit

vero vt virgo casta & honoranda his mangonijs violetur, ars diuina his erroribus, his maculis, contaminetur, his nominibus germana & contubernalis medicina offendatur.

Ambæ simul natæ, ab ipsa natura, sua hauserunt fundamenta. Ambæ simul educatæ, conditores habuerunt & cultores veterum sapientissimos. Vocant in auxilium eorum discipulos. Ostendunt violatam pudicitiam. Deffendendæ sunt ab eiusmodi impostoribus, qui ne tantillum vel primoribus labris Alchemiam sapientum degustarunt. Libauius nihil nouit, præter metallorum nobilium adulteria, ignobilium fucos, fraudes, & imposturas. Nihil in medicamentorum præparatione, præter deturpationes & impuras præparationes. Hoc demonstrandum suscepi, exposito prius Scholæ Parisiensis instituto, vt iudices, Lector, quid schola nostra damnarit quam iustè id fecerit. Hinc illæ Libauij lachrymæ. *Quid facis*, inquit, *Libaui, artem eruditissimæ in tota Europa Scholæ communi suffragio damnatam recudis, & in Europa publicè proponis. Confu-*

le honori tuo & emolumento communi. Quid meritum censes eum qui damnatam artem vulgat? Intellige ergo, Libaui, malé consultum esse honori tuo in operis editione, pessimè in deffensione. Quod si vt pollicitus es errorem abiures & nobiscum in gratiam redeas, nos habebis omnes amicos & eorum quæ vtrinque gesta sunt facilis erit obliuio. Habet hoc insitum sollicita æquitatis examinatio: Habet secundarum cogitationum subtilior exactiorque cura: vt si quid post impetum primum deliberatio properata deliquerit, hoc, consilio propensiore reuocetur. Multa iam edita negligenter, tractatu maturiore abrogantur, inquit ille. Si contra placeat in tuis erroribus consenescere, senties demum quam acriter feriãt veritatis tela, quam ignauè se gerant Parisienses, vt pueriliter ventilabas, in hac palæstra. Interim bene vale. Tu vero Lector, memineris neruos sapientiæ esse non temerè credere. Lege ergo, & iudica, veterum doctrinâ, tanquam Cynosura ductus. Nouitatem fuge, ne incipias nouus author haberi. Quod Comicus de vino, tu de doctrina habeto.



VETERIS MEDICINAE prosopopæia siue ἔμψυχος λόγος.

QVæ Regina fui, priscâ decorata meorum
Nobilitate Patrum; quæ tot miracula mundo
Patraui ratione meâ non sorte medendo.
Tot flores iuuenum, medico tot rore cateruas
Ingeniorum alui: varias mihi templa per vrbes
Clara auro, clara argento gemmisque corusca
Exstruxi, posuique meis altaria dextris,
Queîs antistes erat Phœbus, præerantque Machaon,
Summus & Hippocrates: non mendicabula plebis
Admitti in sanctos poterant tam vilia cœtus.
Pura erat, & castis tantùm doctrina patebat
Mentibus: Harpyiæ procul hinc, procul esse volebant.
Nam mea progenies regno demissa Deorum
Nil nisi quod purum nostros adhibebat in vsus.
Sic vita inuitis vernabat prospera fatis:
Mors vinclis deuincta suis, diræque Sorores,
Et princeps Erebi tetrâ tabescere sensim
Cœperat inuidiâ, consumique vlcere cœco.
Quæ domui generosa truces cum Numine morbos:
Quæ populi oppositis tot tela minantia telis:
Nunc ego destituor; lacerant me pignora matrem
Vberibus satiata meis, quid restat? in oris
Non erit in nostris qui vindicet alite faustâ,
Militet, aut acuat sanas in prælia mentes.
Nullus opem feret innocuæ; tot secula vixi:
Et resplendet adhuc priscæ grauitatis imago,

Apparentque simul pulcri vestigia vultus.
Et minimum est quod tempus edax detraxit: at auxit
Virtutis niueæ quâ fulgeo tota, venustas.
Quidni? herbis, radice etiam tot monstra subegi,
Tot spolijs oneraui humeros, & tempora lauro
Cinxi: & adhuc delubra meis ornata triumphis
Sæpius ingeminant voces: Tu sola fuisti
Victrix, humani debellauisse superbos
Corporis affectus merito iactabis vbique?
Quisque silet tamen, heu? deformis inertia regnat.
Nullus erit memor officij: trucidabor Inulta?
Nec saltem iustos soluent in funere honores?
Sic mihi sub mortem miseræ insultare licebit.
O genus indomitum? quæ gens tam barbara nostras
Quæ velit, aut à se cupiat demittere longè
Artes, quas auidè summi ambiuere potentes.
Heu fata, heu mores? mediâ tumulabor arenâ:
Aut canibus dabor exsanguis laceranda cruentis.
Bella strepunt intus, pax nulla in vrbibus ipsis;
Sese conficiunt ciues, franguntque vicissim
Dissidiis, & lite mei: nunc omnia flammis
Et ferro feruent: passim Libitina triumphat.
Plaustra premũt, heu heu, miserãda cadauera: mors mors
Sola mihi præsto est, moriar sine vindice Phœbo.
Ecce venena parant impune libidine summâ
Grassante in mundo: præbetur hydrargyrus omni
Morborum generi; pro peste miserrima proles
Gestandum putat arsenicum, mammæque sinistræ
Appendit. vidi heu vidi? modo lumina tali
Aspectu confusa stupent. Stibium ne paratum,
Vt garrire solent, floresque aut friuola quæque
Cum pompâ & specie laudant? quibus vndique morbos

Hærentes imis ſanaſſe receſſibus ore
Perfricto iurant: peſtis letalior omni
Peſte meas ſenſim gens atra profana medullas
Exedens, penetranſque vltro in mea viſcera gliſcit.
Chalcantum cæci, bardi, ſine mente ſuaues,
Qui potius verbis quam re, quid plurima, præſtant,
Præbebunt pueris, grauidis, ſenibuſque caducis.
Vos vos cuſtodes iuris, qui fræna tenetis
In magno Themidis regno indulgebitis iſti
Perpetuo errori, non compeſcetis inanes
Tot fucos, tandem non confringetis & enſe?
Nulla igitur ſpecies pœnæ quæ ſiſtat vbique
Gangrænam hanc: vereor, ne pars ſincera trahatur,
Ecce malum ſerpit, paulatim carpit & artus,
Altius & penetrat; quæ ſancta decora lacertis,
Viribus egregia, ecce iacent fluitantia tabo.
Non contenti herbas, medicamina certa profanis
Artibus, & noſtrum fucis corrumpere corpus
Inſuper adiecere dolos, quibus ipſa moneta
Cælet adulterium, & videatur tinnula, cum ſit
Falſa, boni tantum veſtita coloribus auri.
Fraudibus his ſua nunc farcire volumina gaudent.
O ſtolidi, o craſſi multo qui viſcera vino
Mergitis in lucem? quid fas, quid ſumma poteſtas
Iuſtitiæ, prorſus neſcitis: carcere cæco
In terrâ vt talpæ torpetis: namque ſopore
Atque mero mentem ſcintillas ætheris alti
Obruitis; facies, rarâ quæ dote micabat,
Nigreſcens fumi piceâ fuligine torpet:
Nam rogo quid faciet tenebroſâ in nocte ſepultus
Amplius? obſtupui certè cum talia vidi,
Horror inanis adeſt, ſimul ipſa ſilentia mentem

Afficere metu: quid? Iupiter ipse siletne?
Nec sua ceruices in duras fulmina mittet.
Sic queritur Medicina vetus, sic lumina crebris
Debilitat lacrymis: animo sed plura reuoluens
Nos nos deseruit, tenuesque recessit in auras.

Diony. Guerinus Doctor Medicus Paris. hæc in veræ medicinæ pulchritudinem meditabatur.

V. C. FRANC. AMBOESIVS Eques Hemeri; Malnoæ Dom. Regis Consil. in Regia Libellor. Magister P. Palmario Med. doctis. amico Raris. gratulabatur.

HOc Palmarium habes, bone ô Machaon
PALMARI, tua quod diserta palma
Diuini auspicijs bonis PERONI
Proscribit, fugat, arcet, vndiquaque
Hos falsos Medicos tumultuantes
Sceptro conterit aureo rebelles
Frustra præcipiti furore cæcos
Istos Andabatas tenebriones
Prauos experientiæ magistros
Iubet funditus interire totos
Neruosa lepidaque scriptione.
Sic tu Fœbigena hos domas, vt ipse
Fœbus arcitenens adhuc efœbus
Neruis terrigenam peremit anguem.

Clarissimo Medico Parisiensi Pet. Palmario
De sufflone Libauio Palma.

Risu ne dignius, vel arctâ compede
Sufflonis incœptum fuit Libauij?
Conflarat ære, lamináque ductili
Stillante fornaces camino fumidos,
Cinctos suis ventilium spiraculis;
Vnaque folles, forcipes, cucurbitas,
Ollas, retortas vitreas, alembica,
Crates, canales, boccias & cætera
Pararat instrumenta flando commoda:
Promiseratque ducere ex metallicis
Essentias, quibus salutem redderet,
Aduersus æstus grandiores febrium,
Et pestium diras vagantium lues,
Queis Orcus humanum iugis vexat genus.
Heic sulphur, illic stibium & mercurium
Et calcinat salem soporis ignibus.
Nigrante vultum sordidus fuligine
Heic inflat, illic, crebro anhelans spiritu
Pro talibus remedijs verum dedit
Modo recoctum virus è fornacibus.
Quo vtrumque mundi infecit axem luridum
Quo ingluuiem pauit trifaucis Cerberi.
Virûm genus, casu frequente funerans.
Ignis vicem fumum dedit, lucis loco
Fecit tenebras. ô ineptam dogmatum
Scientiam! ô tonsore & elleboro caput
Certum egens Hermetici Libauij!
Fecit suis venena pro remedijs

Venena tetris sæuiora Thessalis.
Quæ pœna, quæ cruces manent istud scelus
Scelus graue atque incognitum ante-sæculis.
O res cachinnis digna plenioribus!
O res cathenis digna strictioribus!
Quas crinibus Palmari palmas dabunt
Gentes, quod vnus fabricas tetexerit
Sufflonis huius improbi Libauij,
Quod luce scriptorum, atque Appollinis face,
Discusserit fumos & atra toxica,
Emissa in auras feruidis fornacibus,
Ne pergerent virûm salutem lædere.
Certè triumphales meret, queis Hercules,
Queis seculis Phœbus cluit prioribus,
Et nominari Chymiæ Libauij
Aeternùm potens ἀλεξητὴρ metallicæ.

Francisc. Placetus Medic, Pariensis.

Contra Libauium ob defectionem a doctrina Hippo. & Galeni antiquiore.

CVi noua sola placent, antiquaque dogmata sordēt
Indicij minimum vel rationis habet
Cornicumque oculos configit quisquis amore
Forte sui, antiquis se quoque prætulerit
Et plus se sapuisse putat. Doctrina antiqua parauit
Fundamen primum (ô quam ingeniosa) nouæ
Sunt qui doctrina reliquos se vincere credunt,
Cum pedibus pessum prisca dedere suis.
Libauio Hippocrates visus placuisse, Galenus
Gratus, languidulus nonne refrixit amor?

Quare? quod primis labijs libauit vtrumque,
At non gustauit: nomine Libauius
Solum à libando. Pariunt fastidia multa
Si stomacho haud grati non placuere cibi.
Palmam nonne dabit Palmarius aut Riolanus,
Libauio? Palmam victor vterque feret.
Ille superbus erit priscas qui prægrauat artes,
Qui contra, hic animi candidioris erit.
Libauium haud odi: doleo doctum atque peritum
Erronem veterum deseruisse viam
Magni est momenti primus qui nascitur error
Atque parat primam ad deteriora viam.
Et quod Romano Labieno contigit olim
Illud Libauio ne eueniat timeo
Illius viui scripta inijciuntur in ignem
Viuus & optata sponte sepultus humo est.
Hinc planctus, lachrymæ, combustis denique libris
Mortuus haud libris ipse superstes erat.
At quisquis priscis iustum concessit honorem
Et noua non spreuit, laude beandus erit.
Doctrinam veterum antiquam reuocare cadentem
Id vere humanum, est laudis & ampla seges.
G. D. B. M. P. D. S.

ANNAGRAMMA
Andreas Libauius
VANA LIBRIS SVADE,

SEu te Moenas agat, seu te phanaticus error
Interualla mali mens aliquando dabit.
Perque vices, saniem vultu variante Dianæ,
Mitescent mores perque vices furient,
At tua scripta modo sit lex seruata decenni

Te ſpatio inſanum conſenuiſſe docent
Inſequeris nudis Phœbumque & Phœbadas armis
Oblitus generis Cyclopis vſque tui
Quin furijs audax conſtringis colla nocentem
Fune Lymcbambæo? vel ruis in puteum?
Diuidit aut medium pectus te noricus enſis
Quem ſeruare nefas, eſt pretiumque mori.
Non te morbus habet fallor, ſed Parca tenaci
Omine te vanis verſat imaginibus.
Iudicium titubat ſenſus rationis & vſus
Scribendi miſerum te tamen vrit amor
Vota virum nec te, nec te metuenda Deorum
Numina tam diris eriperent placitis.
Ergo licenter agas & LIBRIS VANA SVADE,
Aut ne vana magis te modo Parca necet.

I. P. M. P.

Ad Clariſ. & eruditiſ. virum D. P. Palmarium. De Rep. noſtra medica optimè meritum.

CVm falſas artes proſcribis pollice doctò,
Clara ſtruis genio num monumenta tuo?
Cum validè vibras Libaui in caſtra ſagittas;
Funditus euertis quæ potiora putat.
Perge rogo noſtri lumen columenque Senatus
Scribere & ſic doctè, nam decus inde feres.

Dionyſ. Guerin. Doct. Med. Par.
Veritatis & beneuolentiæ ergo faciebat.

INDEX CAPITVM.

FINIS.



ANIMA CENSVRAE PARISIENSIS. ET PARACELSIAE PROSCRIPTÆ IDÆA.

CHAP. I.

IOSEPHVS Quercetanus Basiliensis medicus Lutetiam venit. Medicinam facit authoritate Principis cum medicis Parisiensibus dogmaticè, id est, ex Hippocratis & Gal. instituto, adiecto chymicorum medicamentorum suffragio. Amicè omnia. Paulo post librum edidit de veterum medicina, vellus aureum nominantem, magnam Philosophorum medicinam. vnicum morborum omnium præsidium. Consilia medica addit quibusdam medicis huius ordinis dicata: factionem proponit quæ alia haberet præcepta medendi, her-

Quercetanus cum Parisiensibus amicè viuebat.

Primus hermeticam sectā quatam.

Dogmatica prætulit.

meticam nominat & Dogmatica ſuperiorem. illic omnia ſunt parabolica, quicquid apertum Paracelſicum eſt.

Veram eſſe artem vtentem non docentem.

Veterum medicinam ſimplicem contendit: citat Syracidem ex ſacris: altiſſimus de terra creauit medicinam, id eſt, medicamenmentum. Hippocratem de eadem veterum medicina dicentem, ſacerrimum terræ fundamentum Crateuæ, nominantem. Quo titulo, non habitum animi, non artem, non ſcientiam medendi, ſignificaſſe, cum Paracelſo, cum Seuerino; ſed medicamentum, ſimplex quidem, at viribus & facultatib. πάγχρηστον, πανδυνάτον Per hoc artis ſacrum iuraſſe Hippocratem nomine Panaceæ, πνευμαχὸν vocaſſe Ariſtotelem. Alios Salamandram, Hippocratem aurum igne ſed μαλακίῳ fuſibile.

In materia in medicamento præparando.

Artem eſſe in ipſa materia verius quam in artifice.

Hoc ſcientiam, artem ipſam habere: Scire quid ſeruandum, quid expellendum. Lumen eſſe naturæ, ipſam naturam doctam, ἀπαιδεύτων morborum medicam. Sicque artem, non ex homine, ſed ex medicamento pendere; Non ex forma, ſed ex materia. Eſſe artem naturæ, vt natura eſt ars Dei Platoni. Hinc medicos faciunt adeptos, quod de medicamento, non de aliquo homine audiendum.

Sic Elixir à ſola eſt natura, nihil ab artifice.

Medicus præparator, omnia adaptatione facit. Mundus factus eſt meditatione, medicina fit adaptatione vnius materiæ. Hominis hiſtoriam ex materiæ natura æſtimat. Anatomen ex illa requirit. Veram Phyſiologiam inde auſpicatur. Certior illis eſt, cùm dialyſi

partes essentiales materiæ illius contuentur. Anatomian sic habent, omni physiologia priorem. Sed quæ sit localis, non mortua, non cadauerosa, quod volebat & Thessalus, sed viua, vera, essata, qualis consurgit ex artis laboribus Dissolutione tanquam prima operatione, partes illius materiæ dislocantur comparent vultu triplici; salis, sulphuris, Mercurij: vnde concludunt eadem & in homine & in mundanis omnibus. Ita fuit mundus fabrefactus. Partes sequuntur naturam totius. Homo non pars solum, sed & compendium vniuersi.

Totum à materie quæritur, tota ars & eius partes.

Vt in hac materia sic & in homine

Et in vniuerso mundo.

Quæ in dissolutione postrema sunt, fuerunt in compositione prima. Ergo hæc tria sunt vera, viua, formalia, substantialia elementa. Quod 4. elementis tribuitur, id iustius his tribus conuenit. Communia per omnes entium familias vagantur. Est sulphur minerale, vegetale, animale, sal & mercurius item. Nihil est in mundo, ex quo salem & oleum non elicias, etiam ex muro contra diuerbium. Manent illa in rebus, illibata, vt possint secerni, & actu prodire. Denique ea habent iura quæ veris mistilibus debentur.

Eius principia mundana sunt & humana.

Qualitates vulgaribus tributæ, rellolaceæ sunt, steriles, non habent cherionium naturæ, subiecta illarum prima, imaginaria sunt: non videntur non separantur: Quæ ergo notitia nunquam visorum? Deinde tria tantum sunt, quæ horum officijs respondent. Ignis nulla necessitas, nullus est eius fructus, cum tamen

Elementa communia sunt inutilia.

Et viribus & numero peccant.

cæterorum sui sint partus. Ergo hæc tria, rerum omnia sunt fontes: ex his sunt omnia, generatione, in ea redeunt singula corruptione.

In tribus illis chymicis sunt omnia. In horum symmetria sanitatem, in ametria morbos collocant, morbos, enim, substantias esse defendunt. Si pondus, numerus, mensura si proportio, violetur, morbus erit, totius substantiæ si tria simul ægrotant, si vnicum vnius erit morbus, idque duobus modis; si congelandum soluitur & si soluendum congelatur. Prima sunt morborum genera, talis est Pathologia & morborum doctrina. *Sunt morbi.*

Est curatio. Therapia respondet facilis, per similia morbus fit & curatur. Eadem sunt creationis & curationis momenta. Morbus a dissolutione congelationem postulat, sal partis dissolutus est, in atonia viscerum, Iecoris in fluxu hepatico, solo sale, salino & consolidante roborante præsidio, curari postulat, mercurius congelatus est, in tumoribus, solo mercurio solui debet. Sic tumores omnis generis etiam ossei & tophacei soluuntur mercurio. Nonne vides vt metalla quæ sunt congelatus mercurius, per eundem soluuntur? Vt autem in morbis, in sanitate hæc insunt, sic & in medicamentis, vnde tuto affirmant similia similibus esse persananda.

Sunt signa. Simeotice etiam a medicamento est. Signaturæ sunt rerum externæ & internæ quibus medicamenta, quasi quadam chiromantia doceant, quibus conueniant naturis, æta-

tibus, temperamentis. Internam ſignaturam volunt, ab eſſentialibus principijs: patere experimento, ad quod duces ſunt ſæpe externæ. Paracelſus rerum prædeſtinationem ſolet appellare.

Quibus ita conſtitutis apage omnem artis difficultatem. Tot quæſtiones, tot ſtudia tot labores, ſine fructu ſunt, ſine neceſſitate. ſine veritate. Inuenta ſunt in crucem animorum & corporum. Iam vita longa, non breuis, ars breuis, non longa, occaſio conſtans non volucris, experientia tuta non periculoſa, iudicium facile non difficile. Nullum eſt medici officium, ægri nullum, nullum adſtantium. Externa non poſſunt vires medicamenti prædeſtinatas immutare, impedire. Id omne ludus puerorum eſt. Præparatio tam facilis quæ ſit muliercularum.

Quomodo medendi ſcientia facilis.

Schola Pariſienſis librum & authorem indignata eſt. Suum putauit de his ſtatuere. Quæ prima facultas, in prima ciuitate, coram Rege maximo, Senatu æquiſſimo, ingeniorum excelſiorum frequentia, ſilentio probat, accepta & recepta creduntur omnibus. Ne ergo iſta authoritas fraudi eſſet, ne iuſta aliorum fides læderetur, nomine ordinis Pariſienſis ſemper ſaluberrimi, Cenſorem delegit qui librum videret, facultati renuntiaret ingenium. Quo facto cenſuram tulit in librum, doctrinam, & authorem. Monuit omnes, ne putent à Facultate probari, ſapere puram Paracelſiam. Metuit ne vt ignaros & impruden-

Scholæ Pariſienſis hæc iudicauit.

Monuit lectores de doctrinæ genio.

tes perdit aurificium, ſic & medicos & ægros medicamenti generalis tam difficile ſtudium.

Vniuerſale non admiſit ob raritatem.

Nam ſi verum eſt παγχρηστὸν adeo difficile & rarum eſt vt pro nullo haberi debeat, audiuit aliquot eius aſſertores, poſſeſſores nullos: ne ipſum Paracelſum. Laudat vniuerſale & totus eſt in particularibus. Pollicetur morborum carentiam vitæ diuturnitatem, & confectus arthritide, nimium matura morte deceſſit, anno ætatis quinquageſimo. Quæ ergo fides illi authori debetur, qui proprio exemplo, falſum promiſſum ſignificauit.

Medendum eſt & docendum ex certis & facilibus.

Nec his ſtetit facultas. Rationes adiecit Cenſuræ. Riſit iſtam phyſiologiam, pathologiam, ſimioticem, therapiam, ex tali anatomia eruendam. Falſo pronunciauit ſubnixa fundamento hæc omnia. Præparationes omnes rejecit, & quæ hunc finem intuerentur, & quæ leges diuini operis haud ſequantur. Talis artis & principiorum vanitatem docuit, non ſolum ſuis calculis, ſed & eorum qui pridem Paracelſiam vicerunt. E quibus Andræas Libauius pro philoſophiæ & medicinę dignitate ſæpius decertauit. Eius momenta Cenſor reponebat aduerſario, quod eius authoritate ſe tueretur.

Riſit materia artificiū.

Et quicquid ex tali fundamento docetur.

Sic Alchemia damnata eſt omnis, quæ talia proponeret: Quæ factionem ſibi ſtatuat particularem in medendo: Quæ de dominio cum medicina decertet: Quæ ſua præcepta velit, non pharmaceutica, multiplex ſublunarium præparatio, etiam noua, nouam ar-

tem non conſtituit. Pharmaciæ debetur quicquid cauſa ſanitatis elaboratur circa materiam medicam. Vſus medicus eſt. Medicus hoc vel illo modo vtitur, pro ægri circunſtantijs. Quæ a medio nimium receſſerunt, ſumma habet contraria. Abſtinet donec ad mediocritatem adduxerit. Lapis philoſophicus, ægra metalla perſanans, hominem interficeret. Non habet vſum medicum, poſt fermentationem vltimam. Antè ortum, venenum eſt, buffo, ſerpens, draco, baſiliſcus ſibilo & halitu interficiens. At orto iam ſole, theriaca eſt, Hygeia Panacea, Dij Deæque omnes Hippocratis, Deorum manus auxiliares Herophyli.

Malo intellecto maleque explicato.

Etiam inuniuerſali medicamento.

Medicamenta admittit ſchola, & mineralia & chymicè, ſed legitimè præparata. Pharmacopolia amat his & illis inſtructa. Illa his præfert, & hæc illis pro occaſione. Agnoſcit ſuos alumnos Fernelium, Syluium, duo clariſſima medicinæ ſydera & alios multos Aſclepiadas veros. Laudat Principes Arabum, Auicennam, Meſuem, Rhaſim, eiſdem vſos remedijs, nulla quarta ſecta, ne quidem nominata. Ars integra deſcribitur in eorum libris adiuta ſæpe chymicis. Raymundus doctor illuminatus, etiam humores à putredine vindicat ſuo παγχρήστῳ Democritum inuenit Hippocrates, cadauera diſſecantem, non materiæ principia reſoluentem; vt ſedem notaret bilis atræ, & flauæ, non ſalis & ſulphuris. Hippocrates quem & ſuum volunt, etiam in

Admittit autem medicamenta.

Chymice & legitime elaborata.

Illis vtitur ex præceptis veterum.

lib. de veteri medicina, totus ex humoribus est, generatur, nutritur, ægrotat, sanatur. Vbicunque ille loquitur, ibi humor auditur. Hippocrates ille quem Treuisanus, insignis chymicus, spiritum sine corpore non dubitauit appellare. Ipse est qui dixit vitam breuem, artem longam. Ipse, qui multa chymica, à Democrito hausit. Quercetanus ipse, morbos ex humoribus explicat. Illis medicamenta sua accommodat. Iratus tantum, eiusmodi dogmata defendit: eòque solum consilio vt remedia chymica admittantur. Quæ cum intellexit a facultate probarj, legitima, non fucata, non falsis titulis onerata, non monstrosis nominibus enunciata, statim nobiscum locutus est. Sic Turquetus, Haruetus, Baucynetus, & ingeniosus Renæalmus.

Illos & recentes imitatur etiam chymicos.

Etiam quercetanum & alios qui tùm conuenerunt.

Olim Libauius similia habuit, contra portenta Paracelsi, Ambaldi, Grammani, Michelij. Fertur tamen Ambaldo scripsisse pro Panaceæ laudibus: cuj postea maledixit vt vulpecula moris. Iam totus Paracelsicus est. Non solum suum artificium ex purè Paracelsicis, ex monstris & vituperijs nostræ artis consuit, sed & scholæ Parisiensi hæc maleficia confutanti, resistit, vt hominis inconstantia videatur. Doluit fortasse nomine Paracelsi videre suam Alchemiam, propriaque artificia refutata. Reiecit enim facultas Alchemiam illam Libauij, & in ea principia aliena elementa, entia, arcana, magisteria, extracta, elixiria, bolos, clyssos, tincturas, essentias, decoxit. No-

Quinetiam imitatur ipsum Libauiũ antiparacelsicum.

Paracelsicum vero confutat aut Paracelsica in ore Libauij.

mina quidem vidit aliquot ſapientibus hieroglyphica, ſed perperam à Libauio intellecta, infide explicata, quibus nec præparationes, nec res ipſæ reſpondeant. Propterea ſua cenſura, tot nænias reſecuit, ſignificauit permanendum eſſe in vera medicina. Iſthæc quidem Libauiana criminata eſt, quanquam ne eo quidem nominato. Cum homine luſit non læſit, vulnera oſtendit non impreſſit, illum putabat antiparacelſicum, quanquam imperitum chymicum.

Mendacia vanitates non poſſunt non debent tegi.

Authoritate ſapientium.

His commotus eſt Libauius, velutique rabie & mania percitus in alium ſtatum defecit Ita-ne factus eſt Paracelſicus, vt Lycanthropi & hydrophobi, ingenti moerore? Audio tamen à magno quodam obiurgatum, fidem dediſſe Paracelſiæ: venalem linguam illi conſecraſſe, ſtatione veritatis deſerta, emendicato Galenicæ veritatis titulo, & auſus eſt omnes medicos rodere. Non aliter potuit inclareſcere quam ſi Scholæ clariſſimæ aduerſaretur & commenta Paracelſi, iam ſua, ad victoriam propugnaret. Schola hominem neglexit, contra ſeipſum tam grauiter peccantem, ſua omnia retractantem quouis flatu concitatum. In eius perſona vidit & credidit tranſmutationem, ſed in deterius. Anteceſſit corruptio deſtructiua, non perfectiua, vt nihil deeſſet impiæ mutationi. Reſtaurationis ſtudio & deſiderio, hunc lapidem philoſophicum adornauj, cuius eſt perficere, non deſtruere, volatilia & inconſtantia fige-

Veritas viget etiam in mendace.

Et ſordeſcit in verace mendacium.

Confutato mendacio incanduit Libauius.

Mendax factus eſt & omnino Paracelſiſta.

Vt Pariſienſibus aduerſaretur.

Sic fuit ille in deterius mutatus.

re & sistere, omnia Libauio necessaria, Placet ergo huius lapidis proiectionem experiri, & modum docere, ne longius serpat corruptiua contagio, ne imprudentes lectores vulneret.

PROIECTIONIS RATIO & modus.

CHAP. II.

Vt natura intendit quod perfectum.

Sic nos Libauium perficiemus.

Puluere Philosophico.

Id necessariũ est ne alios contaminet.



VI contra Ambaldum, Grammanum, Michelium, scripserat, pro arte nostra, ille iam Paracelsiam adorat. Non potuit ille veram philosophorum transmutationem intelligere, falsam in seipso demonstrauit, separando, non vniendo, idque in genere diuerso, hoc enim non repugnare dixit. cap. 20. tract. 1. suæ Alchemiæ. Commissis inquit asino & equa gignitur mulus, hîc tamen nulla generis diuersitas. Sed maxima est in Libauio. Ex medico Galenico factus est Paracelsista, ex viro bono & verace, impostor mendax & falsarius. Non repugnat quod obseruauit ipse, non valere in grandibus bestijs, imo hinc est fortior, quia Libauius grandis est bestia. Si fit inter asinum & equum quidni ipsum experietur asinus Libauius? Sic fert natura transmutationis, mutatio omnis fit à contrario in contrarium. Quo quid præstantius est, dum naturam seruat, eo fit mutatio-

ne deterius. Sic aurum abit,in ſalem,ſulphur, mercurium. Sic Libauius in Paracelſiſtam. Ita deturpatus, ſuum virus in publicum eructat. Artes veterum labore excultas deprauare conatur. Incautos fallere facillimum: monitos difficillius. Lectores moneo, ne putent eum Libauium, qui tam acriter pro arte noſtra decertauit, in contrarium ſtatum mutatus eſt. Sed adhuc majus eſt hoc, quod molior. Reditum meditor Libauij. Reſtituam proiectione lapidis noſtri. Sic habebimus illum medicum Galenicum, imo & Pariſienſem, id eſt nobiſcum ſentientem. Modum proiectionis aperiemus. Primò ne ſit inanis opera. Subiectum accommodatum demonſtrabimus. Dixit Riolanus maniacum Libauium. At hoc παγχρήςω morbus omnis fugatur etiam morbi animi depelluntur. Impurus & imperfectus demonſtrabitur in ſequentibus. Purgandus ergo & perficiendus. Hydrargyrus commune eſt ſubiectum proiectionis metallicæ, mutatur in album & rubeum, volatilis & inconſtans figitur. Eorum naturam aſſumit facilè, quibus ſociatur. Talem ego expono Libauium. Inconſtans eſt, & volatilis, Nulli eſt addictus profeſſioni. Nullius in verba magiſtri iurauit, amat rubrum & album eſt doctor Phyſicus, Philoſophus, Poëta, medicus, Paracelſiſta, gymnaſiarcha, primarius profeſſor, collegij director vno verbo πανȣ́ργος & ardelio. Ergo Libauius accommodatiſſimum eſt noſtræ proie-

Intentum & ſigna quia conſpirant omnia.

Libauius docetur ægrotare animo & corpore.

Inconſtans eſt vt mercurius vulgi.

Amat rubrũ & album.

Præpurgatur hoc examine.

ctionis subiectum.

Artis veritate tanquam puluere mystico mutatur

Sequenti examine tanquam sale & aceto purgatum offero. Crucibulo datum in furias egit Riolanus. Iris feruentem & bullientem fecit: videtur ex Triumpho fumare, spumare, crepitare, atque in auras ferri exitiosas ni retineatur. Accurrite ergo, Probatores, examinatores, Aurifabri, puluisculum proijcite, carbonibus circuntegite, follibus hinc inde vrgete flammas, donec ingentem strepitum audiatis, adsit & virgula coryllina & erit μετεμψυχωθεῖς.

Proiectione vt decet celebrata.

LIBAVII TRANSMVTATIO probatur qua ex Galenico factus est Paracelsicus.

CAP. III.

Paracelsus de Creatione.



MYSTERIVM magnum creati nullius similitudinē habuit nec etiam creatum fuit, fuit nihilominus materia prima ex qua omnia prodierunt. Ex Dorneo Moses non dixit creationis principium fuisse creatum, sed in eo creationem omnem factam esse asserit. Alia habet impia quæ tacebo. Passim inculcant lapidis artificium Christo assimilari. Prostant ænigmata lapidis Christi cruci affixi imagine cum tali acclamatione, hic erat vere fi-

lius Dei.

Libauius Paracelsicus.

In Paracelsicis quærit an mundus ex aliquo. Respondet, quanquam Iohannes videatur aliquid excipere, cum inquit, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est, quasi innueret quoddam non factum esse. producit. 2. Machab. 7. ὅτι ἐξ ὀυκ ὄντων ἐποίησεν αὐτὰ illud non ens, interpretatur ἐξ ἀορέτων quæ vox, inquit, non tollit substantiam, sed priuat duntaxat aspectabilitate. Liber sapientiæ inquit fabricat ex chao ex materia inuisa. Sic impius creationem negat omnipotentis. Nam si creatio est immediata productio ex nihilo, si mundus habuit præexistentem materiam, inuisam, inaspectabilem, mundus non fuit creatus, sed factus ex alio: hanc impietatem obijciebat Ambaldus, quam frigidè diluit in Panaceæ historia. Christum sic assimilat lapidi vt agyrtis omnino sit similis. Quemadmodum Christus, in sanctum ventrem Mariæ descendit de suo alto Throno pro nostra redemptione, sic hic noster lapis descendit in ventrem virginis mercurialis vt fratres liberet ab originali spurcitie. Persequitur de diuinitate sub forma serui de morte & sepultura, de gloria resurrectione ascensu, cum obscuritate Solis dissolutione putrefactione inhumatione coloribus luciditate.

Libauius in creatione sentit cum Paracelso.

In Christianismo.

Galenicus.

Faxit clementer Deus ne eò desipientiæ vnquam perueniam vt mysteria æternis sæculis tacita, credam typos esse lapidis istius commentitij physicorum aut diuina spiritus sancti effata polluam inuentis humanis, longè alius scopus est literis sacris quam lapidis designatio.

Paracelsicus Libauius de medicina.

In medicina & partibus. Physiologia duplex, essentialis & elementaris. Illa essentia est hermetica speciei triplicis, tribus grauida principijs sale sulphure mercurio, sale aqua oleo. Tria illa chymicorum principia, sunt in secunda & aduersa valetudine, in partibus corporis, in medicamentis, venenis, alimentis, in morbis & causis. *In Physiologia.* Ex illis sunt prima Physiologiæ fundamenta, in qua primam medicinæ laudem vigere demonstratur. Elementaris tota est in solis mundi elementis, inde sunt quæcunque habent Scholæ, exigua admodum medicinæ particula, & adeo vilis, vt non videatur artis esse. Elementarem crasim curare, superficialium est physicorum, vt & in cortice rerum hærere. Galenici in Hermeticos inuehuntur ista omnia per suos humores pollicentur tria principia reijciunt sed brutè & stultè omnia. Elementa ad medendum adhibentur quidem, sed proprietatis remedium non habent. Sic Libauius aliam Phisiologiam

ſio ὑγιεινῶ diætam Pathologiam therapiam habet. Plura ſunt in collatione Hermeſiæ cum Galenia.

Seuerinus ex Paracelſo idem.

Elementa communia deſtituta ſunt arcanis non habent cheirionjum naturæ, habent ſolum ſteriles qualitates, in quibus nulla eſt confluentia, nulla eſt conſpiratio cum aſtris morborum, nec vlla medicina ex his confici poteſt. Surda & cœca eſt omnis philoſophia quæ principiorum contemplatione neglecta, priuationes informes, materias & mortuas qualitates ſectatur, quæ omnes qualitates calefaciendi chil. & quod mirùm purgantes externæ ſunt corruptibiles crudæ impuræ infirmæ venenatæ. *Cum Seuerino.*

Libauius Galenicus.

Noſtra phyſica conſpirat cum ſacris, quæ nihil ſciunt de mercurio, ſale, ſulphure, niſi cum pœna ſumpta eſt ab improbis ad principia Ariſto. reuocandæ ſunt omnes rationes ſcientificæ de eſſentia. Nam certum eſt quicquid in re eſt naturali pendere à materia, forma aut eorum concurſu priuatione. Iſta tria rancida principia deſumpta ſunt ab Hollando ſi vniuerſalem phyſicam ſpectes, ſuccumbent miſtorum elementorum axiomatis. Ex illis fatuis faciunt ſtellas ſalſas mercuriales ſulpharatas. Quis putet eiuſmodi fatuita- *Aduerſatur alibi cum Galeno.*

tes in hominem rationis compotem cadere posse? & in examine. Quinam vero sunt illi chymici qui abhorrent qualitates elementares, qui illas repudiant non dignantur honore chymicorum.

Libauius Paracelsic.

Vniuersale admittit Libauius.

Excellit hic medicina quam vniuersalem vocant quia licet non omnes sanet morbos tamen ad omnes sanandum naturam iuuet; sitque veluti generale instrumentum ita familiare naturæ, & morbis in communi fundamento aduersum, vt cum illa contra hos feliciter agere possit.

Seuerinus.

Contendimus esse subiectum aliquod in natura, materiam quandam sensibus obuiam quæ debitè præparata & administrata, morbos omnes auffetre possit adeoque medicina rectè appellari: ita enim artes omnes mechanicæ materiam a natura accipunt.

Libauius Gale.

Reijcit ipsum

Risum vix teneo, cum audio vniuersum pharmacopolium vnicum esse simplex. Nec quicquam exigamus aliud quam vt tandem effictam nobis reddant talem medicinam & fortasse cum lubitum erit fatebimur omnia in illa vana esse.

Libauius

Libauius Paracelsicus.

Elementum vini malum, venenum, inutile: bonum omne ab essentia. Diæta ex tribus principijs est, sunt in alimentis. Therapia ex omnibus est sublunaribus ex astris & elementis. parum præsidij est in elementis. Sunt ens Veneni, separantur arte magni magisterij. Pathologia inde affectus depromit, nominibus morborum conuenit iudicio dissentit. Quod ab elementis & primis qualitatibus oritur, vix morbi nomine dignatur, morbi vero ducuntur ex essentiali natura. *Consentit Paracelso in præparandis simplicibus.*

Paracelsus & Seuerinus.

Sanguis est elementum aqueum, astris mineraliumque differẽtibus tincturis ornatum, febris non oritur ex bile putrida, sed est sulphur nitrosum accensum, colica non est ex pituita vitrea sed ex muccagine tartarea alualuminosa styptica, calculus non ex pituita, sed ex muccagine marmorea, alabastrina, arenosa, bolari, arthritis non ex sanguine & humoribus sed ex sale mercurio acutissimo subtilissimo. Cancer non ex atra bile, sed ex sale æruginoso ferrugineo. In vino dubitatum est qua ratione vires reficiat lætificet, & diuturnorum morborum sit causa podagræ arthritis calculi paralysis colicæ hydropis. Separatione conspeximus liquorem spiritum *Sic Seuerinus in idea.*

mercurium naturæ conuenientem, illaudatam aquam copiosam nullo sapore nullo odore, sal tartareum vnde illi morbi.

Libauius Galenicus.

Cum Caleno ea explodit.

Videri voluit Paracelsus principia & elemẽta physica mutasse, supposito sale, sulphure, mercurio. Idem humores Hippocrati confessos, ex medicina extirpare, & ne quidem in humano corpore ferre. Axioma sanationis per contraria, in contrarium transformase. Causas morborum & sanitatis ex mineralibus petere, abiectis veterum explicationibus. Non opus est sale, ad cõstitutionem substantialem. Elicitur quidem sal ex rebus, sed hoc argumẽto non magis principium est vniuersale quam aliud quiduis. Si illa forent rerum initia quæ arte ex mistis euocantur priora sibi vendicarent caput mortuum, halitus, vapor, quia hæc duo sunt vltima. Omne mistum cum corrumpitur non abit in salem, sulphur, mercurium; sed in aquam & συστοιχα Elementa καὶ ὕλη verè sunt πανσπερμία quædam seu omni seminarium.

Spagyri nomen ignominiosum Libauio.

Sexcenta his similia passim offendes in eius scriptis. Sæpè in vna pagina pugnantia loquitur falsa semper, semper ignotam chymiæ veritatem vulnerat siue cum Paracelso siue contra ipsum loquatur. Artis nomen rejecit, Sibique ignominiosum putat: cum enim Ambaldus obijceret Libauium non esse Spa-

gyrum. Reſpondet, at nec vult ſtulto iſto titulo innoteſcere. Lapidem vocat commentitium & nomine potius quàm reipſa cognitum. Contra Pariſienſes admittit vniuerſale. confutat contra Ambaldum & alios. Nomina quibus artem ſuam ornauit, alibi confutat. non conueniunt inquit caſtis Scholis portenta illa vocabulorum, turbith, mercurius, elixir, rebis, & quæ alijs vocibus longè aliud dicuntur iudicare, Sulphur, elementa quinta eſſentia & ſimilia quæ quãtum habent rei, tantum impoſturæ. Plura ſunt in Aſclepiade rediuiuo quæ referre non licet: non ſunt bonæ horæ tam malè collocandæ, ſtatim enim vno verbo ſatisfaciet.

Ea reijcit quæ ſuam artem conſtituunt.

Sed ne quis hoc à Libauio alienum putet, ne putet Libauio injurioſam inconſtantiam; Glorioſum ſibi putat pugnantia loqui. Arma ſi hinc ſumas, inquit, ſenties te eorundem acie configi, ſunt enim inſtar gladij ancipitis, & hoc eſt verſatile Libauij ingenium, tamque eſt dexter Libauius, vt poſſit eodem gladio in vtramque partem vti.

Confitetur laudemque quærit in inconſtana.

Modeſtior tamen factus, & pertæſus tam apertè falſorum, hoc triumphale Palmarium appendit Scholæ Pariſienſis imis ſubſellijs. Quod Libauij authoritatem attinet inquit, tanti ea debet eſſe, quantum valet argumentorum firmitate. Non pudet ipſum veritatis cauſa propria placita repudiare. Scit ſe hominem eſſe, & non omni tempore, omnium expeditam cognitionem habere: Paratus

Monitus à Schola reſipiſcit.

eſt cum Sapientibus diſcere, etiam ſi alterum pedem in ſepulchro haberet, Amo & laudo confeſſionem, redibit nobis ſtatim Galenochymicus. Deuotã video ſuam magnam Alchemiam & omnia Paracelſica externo Chymiæ inſtrumento igni. Interim igne veritatis depuranda, coquendo calcinando, malum à bono ſeparandum. Iam ergo adſeria properemus.

COMPARATIO ALCHEMIAE Libauij cum Magiſterio Sapientum.

CAP. IIII.

Sapientes veritatem mendacijs contegunt.



ETERES Alchemiſtæ ſcientiam ſecretam occultare rati, plurima ſcripſerunt ſuperflua atque inutilia. Tota paucis lineis continetur, de qua tamen iuſta volumina edita ſunt. Omnia aduocant mineralia, vegetantia, animantia, omni artificio præparanda; Cùm tamen in rei veritate nullum ſit artificium, ſola natura operetur; Non eſt magis artificiale quam tritici cultura. Purgationes, deſtillationes, putrefactiones, diſſolutiones, calcinationes, ſublimationes, ab vna fiunt natura, vno ſolum modo, vno igne, vno vaſe. Iuniores, authorum verbis & ſenſui literali addicti, tot tentarunt artificia in ſublunaribus, haud intelligentes veræ materiæ, familiam, nomen, naturam. Vnde artem con-

In ſcriptis eorum latet ſed vix eruitur.

Occultant de induſtria.

diderunt, quam mox medicinæ mox Pyrotechniæ, & metallicæ dederunt. In metallorum sanitate falsi, ad hominis vitam ausi sunt. Medicamenta eiusmodi artificijs præpararunt. Quod certum viderunt, pro artis principijs proclamarũt. Hinc tenebrio Paracelsus & μισάνθρωπος veræ medicinæ fundamẽta diruere conatus est, vt falsa, & diuinæ sciẽtiæ credita substitueret. Transfuga & desertor Libauius, similia amplexatus est, ipsa defendit quantum potest. Primus artem descripsit si Dijs placet maximam, quæ & metallorum & medicamentorum sophisticationes continet, nullas aut paucissimas pharmacorum præparationes laudabiles, si non sint ex pharmacia quæsitæ. Cætera deficiunt, quod leges diuinæ scientiæ non sequantur. Ignis philosophici defectu, manca, imperfecta, imo pejora sunt omnia, vt statim subijciam & ex sequentibus patebit. Ridiculum ergo Spagiriæ labores ad illius exempla refferre. Spagiriæ Principia & elementa ex authorum locutionibus confingere. Nulla sunt omnia, si illius veritatis castra excesserint. Ea non continent cùm huius artis conditores ignorarint. An Arnaldus Villanouanus Medicus Doctissimus, idemque Alchemista peritissimus, artem medendi ex eiusmodi artificijs condidit? an illustrauit? an adiecit Pharmaciæ? noluerunt scilicet arcana patefecere, non potuerunt medicamenta præparare verè & purè sine illis legibus, saltem sine igne philo-

Iuniores attẽtarunt in particularibus quod ille sophisticè.

Vnde extructa est Alchemia Libauij.

Falsa est quod ignota sit veritas.

Falsa ponit rerum principia.

Aliter statuerunt Sapientes.

Ignis inopia nihil potest consequi.

ſophico. Ad cuius imitationem tot menſtrua excogitarunt, ſed quæ huius non poſſint ſupplere vices, ille vnus totum compoſitum perficit, nihil aut paucum ſeparandum: Separat ſolus, quod eſt planè heterogenes etiam non adhibita manu. Eo ſapores rerum, mali, ingrati, tolluntur qualitates exuperantes ad mediocritatem adducuntur. Alioquin extracta, olea, eſſentiæ, ſales, & ſimilia, peiora ſunt omnia quo elaboratiora. Colocynthis amaritudine & calore diſplicet. Succus liquori communicatus, & ad paucum contractus, ſaporem habet multo nocentiorem, omnia mole ſunt parua viribus maxima. Vires ſunt & in ſapore, & in calore. Quidni ergo ingratuis erit extractum? Aquæ ſtillatitiæ vt plurimum inſipidæ ſunt, ſed ſunt inefficaces, nihil virtutum continent aqua quæ exit, elementaris erat & alimenti vectrix: munere defuncta manet diffluens, ſic vrina, ſudor, ichor, in animalibus propterea non præſtat pluuiæ, ſi tenuitatem maiorem exceperis, quam ab igne obtinuit. Ignis qui ferè omnia ſuperat, non poteſt rerum ſapores demoliri. Manent in cineribus calcinatorum. At philoſophicus ignis, nulla vi illata, tollit, emendat, cicurat dyſpepta, dyſcreſta & ingrata omnia. Sine illius ope irrita ſunt omnia Spagirorum opera. Multò ſunt integris nocentiora. Fugienda ſunt, niſi correctoria addantur, ex vulgarj Pharmacia quærenda. Talia ſunt Libauiana & Paracelſica omnia i-

Sapores ingrati eo tolluntur.

Eſſentiæ ſalutares beantur.

Aquæ ſtillatitiæ ſine illo nihili faciendæ.

Elementaris ignis talia non poteſt, imò peiora facit omnia.

Falſò pro chymicis talia dantur.

gnem non nouerunt. Vnde patet, vanitas artis eius quàm tanteporè commendant. Reijcienda ſunt principia phantaſtica. Honore, nomine, & numine, diuinæ ſcientiæ priuari æquum eſt, nec eius authoritate ſe ſuſtinere ſinendum. Iniurioſa illi ſunt hæc flagitia, hæc portenta. Inania concinuunt principia quæ nunquam audiuit ſapientũ magiſterium. Nihil eſt inter ipſa commune. Tantum differunt quantum verum à falſo, bonum à malo, purum ab impuro quantum natura ab arte. Cedo vero venenatum aliquod? huius ſeparationem in bonum & malum oſtendito: Cedo purum ſine impuro, medicamentum ſine veneno, in arte tota Libauij. Nam ſi arſenici diſpirant ſpiritus, noxa fortaſſe imminuetur nec tamen abſolutè tolletur quod ſolum terrenum corpus ſuperſtes maneat inefficax vt caput mortuum. Quid ſi in iſta fæce ſummum ſit venenum? Stibium diuapotatum & calcinatum iuſtis diebus calcem reddit inſipidam, ſed parum efficacem. Cum tamen integrum, nullo ſit ſapore. Ergo ſi iſto modo agis, cum malo bonum, ſimul tollis. Fortaſſe bonum tollis, relicto malo.

QVOD IGNIS PHILOSOPHICVS Chymicarum omnium operationum ſit verus author & ſolus Dominus ſine quo irrita ſunt omnia.

CAP. V.

Vt ſine igne naturæ nihil boni habetur



VERE Pontanus in docta Epiſtola: Signe igne naturæ, nihil perfectum habetur etiam cæteris præſentibus. Initio mundi chaos creatum eſt inane & vacuum. Deo benedicente viribus fœcundatum fuit. Tum Spiritus quaſi ignis diuini, vniuerſali incubatu, potentia actuata eſt. Ignis ille, eſt lux naturæ, quo lucent micantque aſtra, quo inferiora vigent fouentur, nunquam exuperat, nunquam vitio datur, moderatus omnē exceſſum tollit, omnia naturæ legibus & imperio adſtringit, alius omnino ab elementis eſt, a quibus non læditur, promiſcuè cum his & illis hoſpitatur, lætatur tamen ſimilibus aut ſymbolicis, igne & aere magis; ille immiſtus, illa miſcet, miſta conſeruat tanquam clauus, & cementum miſtionis. Author eſt durationis & conuerſationis. Amat ὁμοιότητα Per cuncta rerum meabilis, etiam regnat in terræ viſceribus. Inæqualiter diſtributus eſt rebus, pro dignitate cuiuſque: ſic natura γεωμετρίζει In quibuſdam alte demerſus eſt, in alijs quaſi in actu. Eſt quoddam ſubiectum, in quo viget copioſiſ-

Sic eius beneficio proſpera & fauſta ſunt omnia.

In omnibus ineſt è quibus ſecerni poteſt eſt enim artificialis inventio.

ſimus. Ex illo erui decet. Eſt enim artificialis inuentio & extractio. Cum omni genere ſpecie, indiuiduo, cum omni qualitate inuenitur. Vnde calidum, frigid. humid. ſicc. animalem vegetalē mineralem ſanguineum, pituitoſum, bilioſum, melancholicum dixerunt. Facultas eius plurimum mirabilis. Quicquid eſt in alimentis, in medicamentis, in venenis noxium, & naturæ aduerſum, illo corrigitur. Nihil diuinius, nihil eo admirabilius excogitarunt Alchemiſtæ. Eſt enim totius magiſterij author & verus Dominus. Ignis & azoc inquiunt tibi ſufficiunt. Pauciſſima de eo ſcripſerunt varijſque in locis & omnino ænigmatica. Huius ope quæcunque ſumuntur alimenta cuiuſuis ſaporis, inſipida euadunt ſanguinis nomine. Piſces marini ſalſa aluntur aqua, ſunt fluuiatilibus inſulſiores. Medicamenta aſſumpta ingratum ſaporem in ventriculo perdunt, ſanguinem, & inde lac purgatorium & inſipidum reddunt. Ignis huius virtute, medicamenta omnia ingratis ſaporibus ſpoliantur, maximè purgantia illibata & inuiolata vi purgatrice. Iſte naturæ ignis, in manu philoſophi, veras chymiæ operationes poteſt. Medicamenta parat, nobilitat, cum formarum conſeruatione, non corrumpit, non deſtruit ſed conſeruat. Nunquam in hæc tria proclamata reſoluet corpus phyſicum. Sed ipſa quidem iam facta exaltabit, nobilitabit, eſſentiam actionum reginam. Ea omnia deſtruet, quæ genuinis actio-

Latet in authorum monumentis.

Eius beneficio natura noſtra laborat in nutritione.

Sic & artifex & medicus in arte.

nibus obſunt. Ergo qui ſine naturæ igne ignem vſtulatorem adhibebit, omnia diruet & deuaſtabit. Nihil laudabile, nihil naturæ amicum molietur. Vim rerum ſeminalem & actuoſam populabitur. Cœcus ergo artifex qui ſine illo operatur. Demerſus eſt in denſam caliginem, qui illo non illuminatur.

Pontani conſilium. Doctus Pontanus ducenties circa legitimam

Libauij audacia. materiam errauit. Quid tu vero, Libaui, artis Chymicæ ſi dijs placet conditor? Et tu tamen de lapide, de mercurio, de azoto, otioſè & oſcitanter commentaris? Tu Arnaldum & Lullium interpretaris? Ignorantia ſcilicet, & impudentia frontem non habet. Ex his agnoſce tua artificia, & ea recude, imò ſupprime, donec ſapias, ſi velis conſultum honori tuo. Vt autem fœtum tuum lambendo

Ignis Philoſophici deſcriptio. exornes & perficias, ignis illius philoſophorum notitiam accipe ex his paucis ſed verè aureis. In medio mari mediterraneo natat piſciculus, ſine oſſibus & ariſtis, ſine cortice & pelle, viuaciſſimus tamen & potentiſſimus, qui mox remora ſiſtit omnia, etiam aues Hermetis, mox auis alcyonia & clauis, omnia in cœlum attolit: Sic inſunt vires ſuperiorum & inferiorum. veteres ignem & eius operationes cælauerunt. Meſûes deſtillatio-

Meſues rudis erat veræ artis. nem nominat, oleũ philoſophorũ & alia quædam. Sed rudis erat huius veritatis. Auritus teſtis loquitur. An enim oleũ eſt philoſophorũ quod de lateribus habet, cõmuni oleo ſaturatis indèque deſtillato? Et quid eſt ſpe-

ciem ſeparare a materia quod toties inculcas? Imò laudatur ignis quod ſpeciem in materia conſeruet. Commentum hoc eſt Paracelſi & ſectatorum tui ſimilium, forma non agit niſi cum materia. Corpus phyſicũ his conſtat tanquam eſſentialibus. Ergo iſtam ſeparationem aut non intelligit tecum, ex ore philoſophorum locutus, aut falſum aſſerit. Sollicitè monent philoſophi de formæ conſeruatione, ne pereat opificium. Nam ſi tollitur vnde erit regeneratio, Si materia, vnde multiplicatio. Dices locutum Meſuæum parabolicè, analogicè. Craſſum magma pro materia habere communicatam facultatem pro ſpecie. Sed quid aliud molitur Pharmacopæus noſter. Inde nos non ſuperas, non eſt quod nobis noſtrum Meſuæum obijcias, qui noſtram pharmaciam deſcripſit omnium accuratiſſimè. Arnaldus breuis & ſobrius eſt in his remedijs, qui tamen alia prolixè explicauit. Habet quidem aquam auri potabilis, ſed memineris eam velle ex auro Dei, non alchemiſtarum nequam tui ſimilium. Habet elixir contra venena, habet ſanguinem deſtillatum ſed caue ne deluderis, quis enim vnquam ſanguine ſanauit leproſos? niſi ſit lacertæ ſanguis? Eiuſmodi labores ſunt lapidis omnes, neç vllo modo ad particularia pertinent.

Forma conſeruanda in materia medicamenti per ignem naturæ.

Arnaldus pauca habet quæ tamen ſunt parabolica.

NATVRAE ET CHYMIAE *germanum artificium operationes congeneres.*

CAP. VI.

Quod natura nutriendo.



QVOD Natura in alimentis pro nutritione, idipſum tentat Chymia in medicamentis pro ſalute: materiæ circunſtantiæ non diſcrepant, efficiens & finis conueniunt: vt alimentorum ſic medicamentorum ſylua eſt, in omni familia; ſua ſunt mineralibus vegetantibus & animantibus: inſtrumentum, vaſa, nullum creare diſcrimen iudicauit Ariſtoteles modo eædem adſint cauſæ. Vnde, inquit, conueniunt hæc ambo, non ſolum in ſubiecto operis ſed & in modo, in forma, & fine operandi. Sic artem nominat, ſimiam, filiam, ſociam, naturæ; Sic ars & natura conueniunt, inquit Plato, vt natura ars Dei, Deuſque optimus artifex dicatur. Materia tam alimenti quam medicamenti ſcatet impuritatibus & alienis ſubſtantijs, quæ ligant & deuinciunt alibilem in alimento, ſalubrem & medicatricem in medicamento; conſtat natura minime ſequaci, refractaria, difficili. Vt naturæ ſic artis ſtudium, in depuratione, in aſſimilatione, alimentum inanime, eſt animandum vt fiat pars noſtri, variè tractandum vt idoneum reddatur. Medicamentum

Id chymia medendo.

Materia vtraque heterogenes.

Scopus vtriuſque aſſimilatio naturæ & eſſentiæ nuditas.

debet ſpoliari omni craſſamento, vt pateat ſimilitudo naturalis, vt veluti præſens ſit eſſentia illa laudabilis, quæ naturæ noſtræ adiuncta morbos expugnat. Scopum Naturæ exponam in nutriendo. Qualem artis volumus in medendo. Cognomines erunt artis & naturæ appellationes, vaſa operationibus addicta. Alimentum heterogenes expurgatum à communi ſorde, & quadam artis manu cicuratum dentibus conteritur, Lingua voluitur, ſaliua diluitur: vi glandularum alteratione quadam donatur: excipitur ventriculo, aſpergitur liquore conuenienti. Ventriculi figura, exemplum dedit arti, bociæ rectæ & incuruæ. Ventriculus hinc inde comprimitur fouetur calore vicinorum Iecoris, lienis, inteſtinorum, epiploi, peritonei, muſculorum epigaſtrij, panniculi adipoſi & veſtium indutarum. Iuuatur & excitatur compreſſa facultas, tanquam moderato fimi, balnei, ſolis, calore. Ignis naturæ, intus & extra negotiatur. Alimentum tum putreſcit, vt volebat Empedocles, vt clauſtra & ſerræ reſerentur. Salutaris & alibilis facultas liberetur, Diuerſa abſcedant & diſlocentur: putredo enim aduerſatur generationi, hac diuerſa coeunt, illa dearticulantur. Quæ prima eſt naturæ operatio verè ſpageirica & ſeparatoria, cuius ſunt fæces, magma, caput mortuum, ſtercus inteſtinis excludendum.

Alimenti præparatio.

Arti imitanda in medicamento.

Calor elementaris.

Putredine ſiue corruptione diuerſa ſciungit.

Supereſt cremor, ſuccus chyloſus, in meſaraicas diſtribuendus. Hæ capillares ſuc-

Chyli labores ante Iecoris operam.

cum illum in minima diuidunt, vt depuratio fiat in ipsissimis radicibus alimenti. prior enim superficiaria tantum erat, hæc profunda & radicalis mundatio. Vt autem solum limpidum & purum transcoletur, natura in foribus capillarium, proposuit spongiosas & glandulosas papillas, quibus sensim sine sensu bibulæ illæ istum humorem prolectent.

Filtratio & depuratio in mesaraicis.

Filtra sunt artis quæ combibunt liquorem separandum & depurandum ab omni excremento. Ingeniosa vero laboriosa, sed plurimum exacta mundificatio arti omnino imitanda? Tùm succus iste iecoris portas pulsat, ingreditur simas, myriade capillarium constantes, quibus, secundo diuidendus in minima, tantisper retinetur: tot venulis comites dedit natura radices, meatus, ὀλκηδόχου quibusquicquid alienum & segregatum condatur asseruandum, sed in cystis ventre.

Diuisio secũdum minima vt sit contactus omnium.

Tùm mirum dictu, sed visu iucundum, venæ simarum cum venisgibbarũ ἀναστομοῦνται sic materiæ transfusio fit & officiorum communicatio. vasa sunt ex aduerso posita quæ mutuo dant & capiunt. Sic ἀλλόφυλα secedunt, ὁμόφυλα exquisitè vniuntur totum exactè mundum relinquitur, sed caloris natiui, aut ignis naturæ beneficio, primario altricis instrumento, radicatæ in Iecore. Depuratio illa, & comes separatio finis est coctionis. Sic duplex excrementum, duplici conditur receptaculo, cysti in dextris appensa, liene ex aduerso posito. Iam succus ille erubescit, ro-

Ἀναστόμωσις & mutua communicatio,

Purgantur aliena.

Similia vniuntur calore naturæ.

Producitur rubor de materiæ potentia.

ſeo perfunditur rubore, ſiue quod, tinctu-ram hauriat à Iecoris parenchymate, vt creditur, ſiue quod occultum pateat, & de proprio corpore alimenti producatur, vt volunt Chymici, quod poſtea problematicè agitabitur. Succus hic rubicundus diffluit adhuc multo, ſero, quo diluatur, & vehatur ad ſingula, eſt inquit Hippocrates ὄχημα τροφῆς. hoc ſerum omnem alimenti naturam defecit, incoagulabile eſt, etiam ſale ammoniaco fixo & volatili plenum (vt interim rideatur tertij principij Libauiani proprietas) eſt inquit Hip. ἄπεπτον expers omnis coctionis, propterea ſimul cum ſeroſo ſanguine ad vtrumque renem depellitur, defunctum ſuo vectoris munere. Renum ventriculis excipitur ſanguis: decem in ſunt tubuli papillis mammillaribus obſtructi, quibus ſolum ſerum deſtillet, ſanguis maneat pro renum alimento. Hæc ſecunda eſt filtratio, & exquiſita ſanguinis depuratio. Tùm enim commune totius corporis alimentum cum omni nutrimenti conditione, tum facultas vera in pane & carne olim otioſa fere & ſepulta iam patet in ſanguine; prompta eſt & facilis eius aſſimilatio; quia nuda eſt & ſpoliata omni obſtuculo, ſimilitudo ſubſtantialis, qua nobiſcum conueniebat; tota diſſimilitudo ſublata eſt. Actiuus iam eſt ſpiritus diuinus & cæleſtis, leuique momento cum implantato partium ſociatur. Sic Chymici labores, medicamenta purgant, ſic vir-

Filtratio altera in renibus.

Chymiæ imitatio Libauio ignota.

tutes compressas, minusque liberas euocant actuantque: vt tantum sit discrimen inter integra & verè præparata, quantum inter cibos & sanguinem. Sed videndum vt seruatur propria & alibilis substantia in Chymia naturæ, ita seruetur & medicamentosa in artificiali: quod desiderari Libauianis respondet Schola.

Sanguis ergo iam nominatus secunda coctione ita depuratus rectificari adhuc & exaltari postulat pro naturæ scopis. Pars abit & absumitur in nutritionem singularum partium, pars verò seruatur ad vsum nobiliorem destinata, dum ex corpulentiore, geniture corpus elaboratur, ex tenuiore & subtiliore spiritus vitalis, ex quo animalis procreatur. ergo duæ portiones natura & vsibus tam diuersæ, ex vna radice manant, in vnum postea opus reuniendæ, dum semen constituitur tamquam opus magni naturæ magisterij, opus fœcundum, multiplicans & generans simile, facta proiectione, quasi elixir esset & lapis naturæ philosophicus.

Duæ substantiæ vnius radicis.

Sanguis dictus vena caua ascendente & descendente cohibetur. Descendentis portio (siue quod proximè è Iecore manet, siue quod excrementum tertiæ coctionis de totò sit deciduum, vt placuit veteribus,) vasis generationi dicatis excipitur vt corpus geniture illic debitè elaboretur, dignumque fiat venturæ cælestis & diuinæ essentiæ triplici instructæ spiritu subiectum, tum spiritus corpori

Sanguis diuisus reuniēdus.

pori iungitur, fitque ex duobus vnum rebis & ouum philoſophorum.

Sed vaſa ſpermatica in quibus iſta elaboratur materia, intueri poſtulo, intorta & circumplexa in tot mæandros, vt materia perfectius coquatur, eamque recipiat elaborationem quam decet opus præſtantiſſimum generationis. ad quorum vaſorum ſimulachra efformarunt artifices ſuas ſerpentinas, colla longiſſima quæ ducunt & reducunt, per medias & gelidas aquas. In his mæandris, materia ſeminalis attenuatur ad ſpiritus prolifici complexum, cuius occaſione tale ſymbolum præparationis requiritur. Sic ergo ſeminis humidum radicale exactè elaboratum, permiſtum, & omni excremento vacuum habetur. Quibus conditionibus genitura, ſanguinem ſuperat commune alimentum. Vnde fit vt quod perenni caloris actione depopulatur humidum ſeminale, non poſſit tale nec tantum reſtitui ex ſanguine non ita depurato, ex ſanguine, luce & fulgore ſpiritus diuinique caloris, haud colluſtrato.

Vaſa ſpermatica ſpagyricorum exempla.

Pro materia ſeminali.

Sit hoc naturæ magiſterium, arti omninò imitandum, in depurationibus in coctionibus in circulationibus & exaltationibus, toties continuandis, donec ars ſupra naturam etiam aſcendat. Quo fortaſſe reſpiciunt, qui ex ſanguine tam multa pollicentur naturæ ſoli impoſſibilia. Eſſentiæ vero modum explicemus. Vt natura ipſis nominibus & rebus ſit Chymica.

Eſſentiæ & naturæ artificio patent.

In ventriculis cordis.

Vena caua aſcendens, ſanguine plena, cordis dextras ingreditur, cella conditur, arcetur ad ſiniſtras, obtenſo diſſepimento, interiecta veluti lamina: qua tamen fibroſa poris multis in viuente peruia, purior dextri ſanguinis portio admittitur in ſiniſtras. Hîc feruor ineſt deurens Galeni intromiſſos digitos. feruor ſpiritui ineſt, ſpiritus a ſanguine illo. Talis euaſit aſſiduis & irrequietis motionibus à facultate concitatis, quaſi ab artifice. Quibus ita attenuatur, vt naturam corpoream permutet ſpirituali, corpus fiat ſpiritus, fixum volatile. motu enim non ſolum caleſcunt, ſed tenuantur, rareſiunt omnia, præſertim dum concluſa circulantur, dum ad excelſum naturæ gradum & ſublimem prouehuntur.

Animalis ſpiritus eſt eſſentia plenus.

Ex hoc ſinu arterias adit. Pars carotidibus fertur ſurſum, in rete cerebri mirabili arteriolarum myriade compoſito, elaboratur adhuc perfectius, vt iam non ignis, ſed ætheris, & cæli naturam luciditate, perſpicuitate, ſubtilitate æmuletur ferè ſolutus à corporum legibus: Vnde ſpiritum dixêre: tantus eius ardor qui niſi cerebri frigore moderetur incendium conciperet. Sic ergo tantus calor, tam tenuis tam mobilis & efficax eſſentia, de re mediocriter calida, imò de frigida de lactuca de aqua elicitur. Quid mirum ergo, ſi ſimilia arte producantur? an accuſandus ignis externus, qui vt plurimum mitis eſt & blandus? an potius facultas illa

quæ ab impedimentis libera actu & cum suo actu emergit, emicat, & sui iuris fit?

QVAE ET QVOT SINT CHYMIcorum principia & elementa, illisque non excludi communia physicorum vt nec medicorum propria.

Cap. VII.

SI quædam litera occidit, maximè chymica. Verba sunt hieroglyphica, locutiones parabolicæ. omnia abstrusiora eo sunt, quo litera clarior. Vbi palam locuti sumus ibi veritatem occultauimus, inquiunt authores. In alijs scientijs perspicuitas, in hac obscuritas quæritur. Ambo artem sciebamus, inquit Comes, de modo occultandi cogitabamus. Ergo authorum sensus literalis, omninò fugiendus: præsertim in materia, igne, vase, regimine & similibus. Principij & elementi nomine materia & eius labores intelliguntur vt patebit: ad quorum nomenclaturas solùm respiciebant qui mundana omnia ex tribus principijs sale, sulphure, mercurio, voluerunt: ab Hermete imprimis decepti, qui opus lapidis mundi creationi assimilauit. Sic opus dixerunt ex mercurio & sulphure: sic metalla ex ijsdem, & in eadem dissoluenda. Materiam quærebant, quæ in hæc duo solueretur actu. Sic sæpè mentitur Libauius vidisse

Authores artis occultant omnia.

Literalis sensus fugiendus.

Libauius & alij litera Hermetis luduntur.

auri mercurium, eiusque putrefactionem physicam. Sic delirus Paracelsus audiuit hæc duo principia operis quæ ad mundana omnia accommodauit. Adiecit pro tertio salem, vt nihil deesset hominis ignorantiæ. Asseruit tria esse, & operis & cæterorum principia aut elementa. Consentit Libauius: sicque & metaphysicam, physicam, astrologiam, medicinam cæteráque scientias & artes hac explicatione deprauarunt, decepti, inquam, à literali Hermete. Hermes, vt Chymici omnes, sulphur & mercurium nominant, sed sua intelligunt, non vulgaria, nec quæ vllo modo vulgaribus assimilentur. Ita nominarunt ad occultandum, vt significarent ex mineralibus esse, vt materiæ proprietates designarent, vt laboris & operis mutationes innuerent. In ipsis, elementa voluerunt, imò per ipsa meliorem doctrinæ partem declararunt. Conuerte elementa & quod quæris inuenies. Fac siccum humidum, molle durum, & habebis magisterium: quasi dixissent, fac terram aquam, aquam terram, sulphur mercurium, mercurium sulphur, vtrúmque & ex vtroque salem. Quanquam enim duo nominent, reuera vnicum est. Duo dicunt, quod vultu duplici videantur successiuè tamen, nec simul ambo. Ipsis elementorum nominibus sæpè vocant, semper per aquam mercurium, per terram sulphur & contra intelligunt. Sic duo sunt elementa manifesta, in quibus alia duo recondita sunt. Dicebat

Libauius salem alijs duobus addit cum Paracelso.

Sic artes mutant deprauant.

Quomodo elementa intelligant philosophi.

Quomodo & quæ principia.

Comes Treuirensis, duæ sunt substantiæ mercuriales, vnius radicis. Rationes sunt inuictæ, quibus id asseratur. Infinita sunt testimonia, omnium consensus. Multus est Comes, vt doceat remotam materiam ex communibus esse elementis. Ignarus Libauius nihil ab illis conferri putat. Sic illa sunt remota nostræ generationis, proxima verò semen & menstruum, siue quatuor humores, aut vnus sanguis, aliquando seminis aliquando menstrui specie concurrens, mox ad constituendum, mox ad alendum. Menstruo alitur semen vnius radicis, quanquam vultu sit duplici. sic est materia, principium elementum hominis. Quod si mineralium libidine teneris, dic parabolicè cum philosophis sanguineum illud semen, esse sulphur. Rem eandem varijs nominibus designabis. Sic enim duo nominant, vnicum intelligentes. Sic terram & aquam Aristotelis pro metallorum genesi, mercurij & sulphuris nomenclatura occultant. Et ne nimiùm addictus sit discipulus, dictorum corticibus, ne toties repetita hæc principia duo, putet ex sono intelligenda, monent imprimis sapientes naturæ & artis possibilitatem attendere: videre quid possit illa, ne illi quicquam tribuamus insolitum & supra vires. At ex duobus actu existentibus fieri vnum actu, nec natura potuit vnquam, nec eius interpres philosophus admisit: esset enim ens per accidens, non per se: esset compositum non simplex

Elementa communia admittunt quæ reijcit Libauius.

Humores mineralibus explicantur parabolicè & contra.

Licet duo nominent vnicum volunt sapientes.

Duo actu naturæ placitis repugnant.

naturæ opus: non esset vna simplex forma, sed composita ex pluribus: fit autem generatio ex actu & potentia: compositio ex actibus hoc artis est, vt domus, illud naturæ, vt homo, vt vitis, vt apis, vt aurũ. Sed sint illa duo, actu vt ad literam creditum est, imò sint tria, vt voluerunt Paracelsus, Seuerinus, Libauius & alij multi. Dic sodes qua proportione illa permiscebis? Es-ne adeo Lynceus vt naturæ pondera, & mensuras in explorato habeas? Quantum sulphuris, quantum mercurij quantum salis dedes? nec tamen dubito, quin eo vsque procedat impudentia & temeritas Adeptorũ, vt iurent hæc, soli naturæ cognita tenere. Quos reijciunt Philosophi vno verbo monentes: vbi vnicum, nullum pondus necessarium, nulla proportio obseruanda est, Si duo sumis, alienus es, oleum perdes, ludes operam. Sic ab vno, & per vnum, mundus est factus meditatione vnius. Bonus Ferrariensis opus conuincit ex Aristotele. Non alia habet principia, non alia elementa. Nominat quidem & aliter explicat elementa, sed sunt Chymicorum, sunt lapidis, sunt operis propria, non illa mundi communia, sic Grammatici, Geometrici, Medici sua habent, quibus vulgaria non excludúnt. Errarunt Galenici, inquis, quod ex tribus principijs vnicum explicarint, solum humidum, solum mercurium, relictis duobus vtilioribus. At inquam, phanaticus es. Galenici quatuor humores habent, vnius radicis,

Sic enim non esset generatio.

Proportio est solius naturæ.

Bonus Ferrariensis demõstrat opus ex Aristotelis decretis.

Non aduersantur humores quibus auditur non solus liquor.

vnius liquoris, vnius mercurij. vt eſt in mercurio quicquid quærunt ſapientes, ſic in humore quicquid volunt medici. Humor ille, dum in ſemen coquetur, ſulphur erit, dum in os abibit ſal, ita enim partes noſtri corporis exprimitis. De quibus plura capite de principijs medicorum, de humoribus. Ergo vnicum erit Chymicorum principium, non duo, minùs tria, vt perperam ſentiunt aduerſarij: vt deſinant poſthac arte diuina abuti, in abrogandis cæteris, quas veteres ſuis laboribus excultas dederunt. Dehinc à Paracelſi cultu abſtineant ſectarij, nec in eius ſputis arcana quæritent. Author eſt, omnino contemnendus, ſi quædam medicamenta demas, ſine arte, ſine methodo homo ἄτεχνος καὶ ἀμέθοδος ſuas nugas venditat. Quid poteſt in Chymia qui ſapientum ſermones non intelligit? qui naturæ poteſtatem ſpernit, qui ſcientiæ & artis principia non nouit? & ex ijſdem malè intellectis in propria ſcientia nil proficiens, ad cæterarum deprauationem conuolauit? ſed quod dolendum, eius aſſeclæ ex illo toti pendent. Rationes illi machinantur & quærunt, quorum nulla reddi poteſt. Libauius olim iuratus aduerſarius, iam commentator, iam propugnator eximius. vt nullum ſit tam abſurdum mendacium, quod in otioſorum numero patrocinium non inueniat. Talis eſt Chymiæ doctrina,

Vanitas Libauij & inconstantia.

de principijs, deque elementis. Ex quibus authores noluerunt vniuersum fabricare, vt ex Chymia, physica & medicina sit addiscenda, vt Deus fuerit Chymicus, vt nihil potuerit Aristoteles, nihil Plato, nihil Hippocrates, nihil Galenus, sine ea professione. Sic locuti sunt de materiæ lapidis natura, de præparationibus, de regimine, vt medicus de hominis generatione nutritione, & medicatione: principia habent & elementa quibus id doceant.

Hi & illi.

Sic ergo explosa est physica parachymica, sic medicina id est quæ ad parachymicorum mentem hominem & vniuersum alat & foueat. Superest spagyria, ea præparatio medicamentorum quæ meliora reddat, & morbis expugnandis vtiliora. De qua in processu examinis prolixius. Eius principia artis sunt, pendet ex pharmacia, simplicia naturæ opera assumit elaboranda, si velis oleum, sal, essentia, sint principia siue prima opera, vt in pharmacia puluis, decoctum, aqua sunt elementa compositionum. Nam ex eo quod medicamentum in illa tria soluatur, ex ijsdem à natura non esse conditum, statim docebimus, vt nullum supersit trium phantasticorum principiorum perfugium.

Spagyria quoque vana nisi pharmaciæ sit pars.

Principia habet sed compositionum.

DE IVRE QVATVOR ELEMENTorum contra tria Libauiana.

CAP. VIII.



VOD naturæ placuit legis habet vigorem, omnia enim natura & lege cognoſcuntur: at conſenſus ſapientum pro lege habetur. Temeritatis argumentum eſt à viris ſapientibus diſſentire. A Deo, natura, à ſapientibus lex eſt. Natura in rebus quærenda, lex in intellectu. Nomina autem media ſunt. Res naturæ de ſinu ſuo promunt nomina. Rerum conceptus nominibus exprimuntur. Scientiæ & Artes animi habitus, naturæ ſunt ſimulachra, ſolent nomina conceptibus, & conceptus rebus ipſis adaptare. Atqui ſcientiarum & artium magiſtri, elementorum nominibus & rebus perpetuò vſi ſunt à nata natura, à prima mundi creatione. Natura tota ex his & in his eſt. In alijs tribus, potius deſinit eſſe. Tota quatuor ſummis generibus integratur. Horum quodlibet quatuor illa mundi ſemina pro parentibus agnoſcit: in ipſa terra terrena ſunt omnia. Mineralia, metalla. his potiùs conſtant, quàm ſulphure & mercurio. Imò ſal ſulphur, mercurius, ex ipſis ſunt elementis. Mineralium qualitates elementares id conuincunt. Qnatuor primæ formales actiuæ, imò & ſecundæ ſiue mate-

Conſenſus eſt pro lege.

Nomina dantur pro natura rei.

Sapientum conſilio.

Omnes vtuntur elementorum nominibus.

Quare & rebus.

riales ſola elementa habent prima ſubiecta. Tria alia, veluti inutiles reijciunt, nolunt illis pro primis ſubiectis eſſe. Inter vegetantia temperamentorum claſſes, claſſium gradus, & graduum ordines id docent. In vnica planta, diuerſæ partes ſuis elementis adſcribuntur. Radix terræ, folium aquæ, flos aëri, fructus igni. Ex animalibus ſunt terreſtria aquatica, aëria & ignea, non tam hoſpitio quàm temperamento, & vita. ſic Sapienti quædam vaporem igneum ſpirant. Animalium partes particularius. Quin & animæ facultates diuo Auguſtino. Intellectus ignis eſt, ratio aër, imaginatio aqua, ſenſus terra. Viſus igneus eſt. oculus eſt igneæ naturæ, lucentis non vrentis, vt cœlum. Hipparchus animum volebat igneum. Heraclyto Deus erat igneus. Iuno aëre exprimitur. Iuppiter igne. Ignea eſt mundi anima. Zoroaſtro ἐμπυρώδης enim ἡ τοῦ κόσμου ψυχή Ab vno igne omnia ſunt nata. Triſmegiſto, εἰσὶ πάντα πυρὸς ἑνὸς ἐκγεγαῶτα.

Natura tot dedit exempla quod genera & indiuidua.

Et animæ facultates testantur.

Veteres in omnibus.

Theologia.

Theologia Chriſtiana elementorum nominibus ſua declarat myſteria. Initio mundi chaos aqueum erat, non mercuriale. Deus creauit cœlum & terram, non ſalem. Diuiſæ ſunt aquæ ab aquis, non mercurius à mercurio. Spiritus ferebatur ſuper aquas. Spiritus ſanctus ignis eſt non ſulphur, deſcendit in linguis igneis. Terra homo eſt non ſal, in terram redibit, non in ſalem, niſi reus incendio pereat. Deus ignis eſt, ignis erat in rubo ardenti: facit miniſtros ſuos flam-

Deum ipſum & diuina.

mam ignis: qui lux &, ardor est. Lauacrum peccati Adamici, aqua instituitur, non mercurio. Ignis aër, aqua, terra, Hebraicè, Græcè & Latinè nominantur. Vxor Lothi in statuam salis mutata est, sed in peccati pœnam, & ignis præcessit. Sunt lacus sulphuris in pœnas peccatorum. Quomodo destruunt illa potius quàm ædificent: quomodo ergo naturæ principia? Astrologia & ipsissima habet, sed præstanti & cœlesti modo. Astrorum quædam sunt ignea, vt Mars & Sol, aërea Iuppiter, Venus, aquea Saturnus & Mercurius, terrea, vt fixa omnia cœli octaui & Luna. Signa quoque & triplicitates his exprimuntur. Est cœlum crystallinum ab aqua, Empyreum ab igne, æther ab incendio. Seraphin ignei sunt, Cherubin terrei, Throni aquei, dominationes & principatus aërei. Magia ipsa à Paracelso supra Neronem celebrata spiritus facit igneos aëreos, aqueos & terreos. His luxuriat Paracelsus. Mirum quomodo ex suis principijs non dixerit salinos, sulphureos, mercuriales. Diuinatricem omnem nostris non suis describit nominibus. Mirum, inquam, cùm principia velit omninò generalia, quæ conueniant superis & imis. Physica tota pendet ab elementis, his mundum & mundana omnia facit, fouet, alit, tuetur. Medicina eadem habet quæ physica demonstrauit. Humores quatuor, elementis analogos docet. Denique ipsa elemēta à mundo cōdito principatū obtinuerunt. Veteres elemēta volebant solo numero dissentiebant.

Astrologia, astra, signa, triplicitates.

Magia ipsa Paracelsica elementis exprimitur.

Non illis tribus.

Physica & omnes physici.

Pars melior literaliter locuta eſt: Simplicius aſſeruit diſſentire & ab Ariſtotele penes literam tantùm.

Ipſa Alchemia ſapientum.

At Alchemia quam tenere videri volunt factioſi, nonne ſtabit pro illis: minimè equidem. Falſa eſt & ſpuria quæ illis tribus patrocinatur. Doctiores probati omnes eam dicunt elementorum ſcientiam, conuerte elementa & quod quæris inuenies. Libauius cum Paracelſo & Seuerino elementorum doctrinam contemnit, pro illis ſulphur imò bitumen mercurium reponit & ſalem. Si quando elementorum mentionem facit ex dicendi conſuetudine inania putat & ſterilia, niſi ſuis tribus fœcundentur. Quaſi duplex creatio fuerit, vna principiorum & elementorum Libauij, altera elementorum philoſophi. Quaſi verò non potuerit Deus ſua benedictione noſtra elementa fœcundare & vitalia reddere, cur potiùs ſua tria quàm noſtra quatuor? Spiritus domini ferebatur ſuper aquas, volunt mercurium eſſe, licet nominetur aqua. Aquæ illæ non mercurij; ſpiritu animatæ ſunt, Spiritus ille erat-ne triplex? Erat ne ſal, ſulphur, mercurius? volunt aquas cœleſtes eſſe mercuriales, à quibus vt à cœlo hic mercurij, generentur, generati foueantur. Sed his aquis cœli ſunt deſignati. Aquæ ſunt ſed cœleſtes id eſt præſtantes & cœleſti modo ſe habentes, quod ſi aliud in terris haberent, elementare eſſet. Scilicet hic ſunt impura & fœculenta omnia, illic puriora & lucidiora. Detur a-

Malè ergo Paracelſus & Libauius.

In Geneſi & creatione errant.

Ex ipſis verbis & nominibus elementorum non illorum trium.

quas ſuperiores, has inferiores gubernare, erunt-ne propterea mercuriales, ſi mercuriales erunt aut fixæ aut volatiles, ſi fixæ ex illis nihil defluet deorſum, ſi volatiles ſurſum potiùs ferentur quam deorſum. Satiſ-ne fuerit aquas inferiores à ſuperioribus regi tanquam ignobiles à nobilioribus? Diuiſæ ſunt aquæ ab aquis, quaſi mercurius ſiue aqua cœleſtis ab elementari: ſed ſi diuiſæ ſunt non ſunt mixtæ ſimul, non erunt mercurij cum aquis noſtris, ſed ſecretæ ſunt per obtenſum, firmamentum. Deinde ſpiritus non minùs fœcundauit elementares quàm cœleſtes aquas. Terra erat inanis & vacua, ſed Deus ſua benedictione nobilitauit. Incubuit aquis antequam diuiderentur. Si chaos aqueum erat, ſi vniuerſali incubatu illud chaos animauit, non minus hæc quàm illa vitalia erunt. Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, ſed ſunt & erant initio quatuor elementa non minus benedictionis diuinæ capacia quàm alia, ergo ſatis illa fuere, à benedictione enim eſt ſpiritus, latione vires communicari volunt, ſed cur elementa his orbantur? non eſt præceptum in factis. Quaſi verò illa benedictio fecerit ſal ſulphur mercurium. Sit cryſtallina ſubſtantia cur his tribus nominibus exprimitur? cur mercurialis? An Paracelſus Deo prudentior? cur mineralium nominibus? nam ſimul cum terra mineralia ſunt ſeparata à firmamento. Præſtat vnicum his quatuor addere, quod naturam cryſtallinam ſapiat

Fœcunditas ſpirituum nihil concludit.

Facultas eſt impreſſa ſubiecto indiget.

Quæ & communibus eſt communicata nulla itaque aliorum neceſſitas.

Subiectum autem ſit vnum & cœleſte.

Cryſtallinum aqueum non mercuriale.

Quod vnum est & simplex non triplex.

quod ſit alterum aquæ genus: reuera enim eſt aquea & cryſtallina ſubſtantia in omnibus ſublunaribus, quæ quaſi cœleſtis illa eſſentia, totius indiuidui retineat proprietates. Sed nec triplex illa eſt nec excludit alia quatuor, ſed

Quod eſſentiam cōtineat cœleſtem impreſſam à ſpiritu.

vnica & quinta eſſentia quæ non erit impurior imi cœli portio, vt malè dixit Libauius fæcem nominando, ſed eſt cryſtallina ſubſtantia cœli cryſtallini æmula, aut aquarum quæ ſunt ſupra firmamentum, vt eſt in Geneſi declaratum. Huic ſubſtantiæ Fernelius calorem cœleſtem dedit, natura illa & facultate diuina plenum, hic immixtus miſcet elementa, vt ſit author & ſeruator mixtionis.

Cum ſint quatuor elementa, ſuperflua ſunt illa tria.

Quatuor eſſe elementa inuictis duobus argumentis demonſtrauit Ariſtoteles. Primò, quòd ſit in rerum natura corpus abſolutè leue, & alterum abſolutè graue: in ſingulis generibus veniẽdum eſt ad aliquod natura tale, cuius participatione cætera ſint talia. At ſummum leue ignis eſt: quia ſurſum tendit, Cælum non eſt tale, mouetur enim in orbem: ſitus naturalis eorum, ordo naturæ id conuincit. Terra grauior in imo, ignis leuior in ſummo. Interijciuntur duo media aqua & aër: non enim fit tranſitus ab extremo ad extremum niſi per medium. Extrema non congrediuntur niſi ad pugnam alliciantur ſymbolicis.

At eſſe illa Ariſtoteles demōſtrauit.

A ſitu, à materiæ conditionibus.

Secundo argumento, quod in rebus omnibus manifeſtæ ſint quatuor qualitates. Accidentia ſunt, ergo ſubiecta requirunt quibus primò & naturaliter in ſint, cæteris propter il-

A qualitatum ſubiectis

la, & quibus perpetuò inhæreant. Nunquam natiua qualitas, ſuum ſubiectum deſerit, vt alienum induat. Non fit qualitatum migratio, ſed ſola communicatio, Ergo neceſſarium eſt cuiuſque qualitatis πρῶτον δεκτικὸν primum ſubiectum. Quis ſtupor mentem oppreſſit eorum qui ignem expungunt? cum tam manifeſtò ſe prodat? Nam ſi illum tollunt, tollant & aquam oportet, primum frigidum. Vnum enim vni eſt contrarium, ſolo frigori aduerſatur ſolus calor, aqua igni. Sic duo tantùm erunt. Falsò quoque cœlum eius loco ſubſtituunt, differt enim toto genere. Quæ congrediuntur genere cõueniant oportet. materia ſit communis in qua decertant qualitates. At cœli materia omninò ab elemẽtari alia eſt. Cœli qualitates ſenſus noſtros nõ feriunt, non excedunt ille, nõ corrumpuntur, totæ ſunt beneficæ, vitales & ſalutares. Eſſentiæ rerum cœleſtes & diuinæ ab illis qualitatibus liberantur facilè. Eſſentiales proprietates ſeorſum exiſtunt ab illis: at diuerſa ſunt quorum vno pereunte, alterum nihilominus manet. Diuerſa quæ alia ſine alijs eſſe poſſũt. Vis purgãdi ſociatur his aut illis ſæpéque cõtrarijs. In ſenna iungitur calori, in hydrargyro frigori: ſcammonium nullo ferè eſt ſapore, radix mechoacana nullo: cremor tartari acidus eſt, caſſia dulcis, colocynthis amariſſima: addam artis inuictum teſtimonium, quod poſſint tolli eiuſmodi qualitates manente inuiolata cœleſti facultate: Ergo non poteſt cœlum igni ſubſtitui, Ergo quatuor ſunt

Neceſſarius eſt ignis cum ſit calor.

Cælum non debet ſubſtitui.

Quia non miſcetur.

Quia non habet cõtrarium.

Quicquid à cœlo eſt, non deſtruit.

Eſſentia nihil habet cum elementis commune.

elementa quatuor facultatibus formalibus instructa, quin & materialibus, vt sublunaria omnia penes materiam nascantur. Cœlestis verò substantia desideratur pro forma & essentia, quæ non quarta, sed quinta debet appellari, & cœlum quintum elementum vt doctè Aristoteles libris cœli, Ergo falsò tria illa phantastica subrogantur pro illis communibus, falsò quod & arte habeantur non insint natura, & dum habentur communium operas & officia requirunt. Non eliciuntur sine igne, non sine aqua, aëris & terræ vultu sæpiùs conspiciuntur, id est salis aut olei.

Neque cum elementorum qualitatibus.

Cœlum est quintum elementum, non quartum pro igne.

DE IVRE QVATVOR HVMORVM contra isthæc tria.

CAP. IX.

Omnia sibi mutuò inseruiunt.



VÆCVNQVE cœli circumplexu teguntur in quatuor familias partita sunt, sunt aut animantia, aut vegetantia aut mineralia, aut simpliciter mixta. Hæc mutuis sibi stant auxilijs. Nobilius alitur ignobili, compositum simplici: vicissimque nobile inferiori ornamento est, hospitio superioris exceptum infimum, nobilitatur, exaltatur, corrigitur, perficitur. Prima sunt & proxima generis cuiusque principia: his mutationibus & veluti transplantationibus mutuò commeant, non

Nobile ornamentum igno bili confert à quo alimentum.

non ſine præuijs mutationibus, abſolunntur hoſpitij nobilitate. In omnibus principijs magnæ inſunt virtutes: maiores verò prout maiorem & nobiliorem mutationem ſuſtinuerunt, prout impreſſionem perfectiorem receperunt à nobiliori genere: ſic quatuor humores animalium proxima principia, actionum multitudine, nobilitate & præſtantia, ſuperant inferiora. Neque enim concipiuntur nudæ voces humorum, vt malè ſunt opinati aduerſarij; non humores eſſentia deſtituti, ſpiritu, balſamo: ipſamet retinent quæ habebant, de quibus prodierunt alimenta: niſi quod generis nobilitate meliora & nobis ſimiliora ſunt: tales ſunt humores, qualia aſſumuntur alimenta. Et quo abiere niſi vno ſanguine continentur qui totus ex alimento eſt? Eſt-ne ſemen, ſanguis menſtruus, ſulphur, ſal & hydrargyrus potiùs quàm dicti humores? Et tamen menſtruum eſt ſanguis ipſe, quatuor humoribus plenus. Semen, ipſe eſt ſanguis coctior purior, elaboratior, ſpiritibus plenior. Vbi ſal, vbi ſolidum ptincipium vbi ſulphur, niſi in illis? & cur potiùs in his, quám in humoribus alibilibus? Ergo Dogmatici medici vulgarem liquorem non audiunt iſtis nominibus, ſed humorum maſſà vires & facultates contineri credunt, quæ totam corporis anatomiam poteſtate habent. In ſemine ineſt poteſtate totus homo: at ſemen ex ipſis eſt humoribus ex his ſpiritus ipſe prolificus εἰδοποιός, gigni-

Animalium principia ſunt quatuor humores.

Propria eſſentia efficaces.

Habent quod ab alimentis ſunt mutuati.

Humores ea retinent quæ ad generationem ſunt ſatis.

tiuus, qui corpus genituræ animet, vt tunc fit verum semen. Ergo his corpus generatur, generatum alitur, augescit, seruatur, ægrotat, sanatnr. Grandior homo non priùs alimenta assimilat quàm in sanguinem sint mutata: si metallis aleretur, si hydrargyro, sulphure, sale, correctis, præparatis, deberent illa priùs in sanguinem, in quatuor humores mutari, quàm nos nutrire possint. Ergo humores animalium non sunt humores aquei omni facultate orbati: sua habent coagulationis semina, quibus solidescunt, cambiunt, & in naturam partis mutãtur: non sunt inania humorum nomina: ipsissimas continent virtutes, mineralibus impropriè tributas. In mineralibus quæ insunt, crudiora, impura, imperfecta sunt. Cur ergo nouatores isti tam salutares humores repudiant? Quia, inquiunt, humorum nomine, solus corporum mercurius explicatur. At inquam falluntur, hoc nomine humor animalium proprius intelligitur, sanguis colore ruber, sapore dulcis, consistentia mediocris: vnde autem consistentia nisi à permixtione necessariorum? Vnde color erubescens, nisi à tinctura producta, ab essentia aperta? Vnde sapor dulcis, nisi à symmetria substantiarum à natura depuratarum?

Sunt in generato. In nascente. In grandiore. In ægroto. In percurato.

Humorum conditiones id docent. Consistentia. Color. Sapor.

Apage ergo sulphura, sales, mercurios, pro animalium exordiis: apage bitumen Libauij quod sulphuri substituit, vt quinta secta

Delirus Libauius dum bitumem defendit principium.

exoriatur? Siccine insanire licebit omnibus, & bonas artes inanibus cogitationibus onerare, deprauare? secundæ stultitiæ sunt semper imprudentiores. Verè Hippocrates nos ex humoribus fecit, nutriuit, & ægrotantes sanauit, cum illis viuimus, valemus, ægrotamus, sanamur. In nobis dominantur certis dierum horis, septimanis, annis, anni partibus, quin & vitæ curriculis, ætatibus. Horum quis ferat per isthæc mineralia explicationes? Ipsi & in morbis victores sic iudicantur. Priuatione cognoscitur habitus. Quod præsens facit, absens tollit, morbo desæuiente exhibito cathartico, humor familiaris educitur & morbificus: tunc morbus cessat: nullus detrahitur mercurius, nullum sulphur. An cathartica sunt quædam istis mineralibus familiaria, quibus proprietate obsequantur: si dicas ipsa esse animalia, humoribus contenta petis principium iam excussum, & postea copiosius refutandum. Qui Venerici mercurio peruncti sunt, quibus etiam in corpus internum sese insinuauit, vt ex vrinis, ex saliua docetur, datum catharticum, illum-ne proliciet? cedo vnicum, nunquam enim respectus euentus, solum aurum, solum sulphur, possunt illum comprehendere, non attrahere, non euacuare. At dicent non solum vulgaria quæ iactamus pro principijs: sunt illa naturæ & sapientum magisterio nota:

Humores sunt retinendi in animalibus.

Cathartica illos educunt non tria mineralia.

Hydrargyrus in corpore nullo educitur medicamento

Ergo nullum eſt illi familiare.

Vaſculis excipitur ſanguis non ſulphur non mercurius.

Medicus humores videt, agnoſcit non illa tria.

Inquam ego hoc falſum docui. Quod ſi bile ſulphur intelligis, ſi melancholia ſalem, ſi pituita mercurium, cui bono iſta metonymia, iſta nominum μεταβολὴ? Qui vaſculis excipitur ſanguis vena inciſa, an manifeſtius iſta tria quam quatuor humores refert? Medicus eſt ſenſualis phyſicus, iudicat & nominat ex ſenſu apparentibus: ſanguis videtur non iſta tria. Vnde hæc conijcies? quid obſeruas in nobis quod à ſanguine non habeas longè perfectiùs? An reliqua duo principia in partibus quæris? An horum affectus euacurtionem non requirunt: ſed reſtaurationem & ſimili reſtitutionem. fabulæ. Quaſi quicquid eſt in parte non ex vno ſanguine profluat. Quaſi ſanguis non ſit alimentum ſolidi & humidi. Si ſimile nutritur ſimili, ergo eſt quid ſolidum in ſanguine, quod in os mutetur nutriendo?

In morbis illi euacuantur non illa.

Medicamenta eos ducunt.

Dato rhabarbaro in morbo bilioſo, elicietur bilis: bilis igne non ardet, non concipit incendium, cùm tamen ſulphur eorum non vulgare olei nomine expreſſum ignem concipiat facilè. Febre tertiana minitante da rhabarbarum, bilis educetur, febris ceſſabit. Natura ipſa initijs acceſſionum bilem copioſam reddit. Ergo febris illa à bile erat. Tu verò da ſulphur, da oleum quoduis, incendium augebis. Quid ergo porrigendum in hoc affectu? ſtibium dices, minerale eſt, & hæc principia habet efficaciſſima, citiùs ſedabit febrem quàm exhibitum rhabarbarum.

At inquam, si sedat febrem id fit ratione euacuatæ bilis: natura lacessita, expellit noxium quantum potest. Non negatur ex mineralibus peti medicamenta, quæ etiam istos prolectent humores. Dicetur aliquando mineralia vires habere fortiores, an propterea sequitur conclusio? non inquam, quia stibium sanat euacuando, euacuando humorem, principium illud quod nobis solitarium obijcitis. Nec sulphur putatis, cum tamen bilem ex sulphure generetis: si sulphur partis fuerit, oportet retrahi vt euacuetur, quandoquidem salus euacuatione habetur, Sed quis tandem erit delirantium finis? Non est rheum familiare sulphuri, sed bili, non senna sali, sed melancholiæ, non agaricus mercurio, sed pituitæ. Morborum historia id patet. In ferinis & salsis destillationibus, in doloribus arthriticis dantur-ne senna & helleborus? minimè, quia crassa ducerent non tenuia, sed hydragogon, sed semen ebuli, sed radix Mechoacana, quæ aquas copiosas euacuant. At sunt illæ mercurius, & dolores arthritici fiunt illis à sale dissoluto, sal trahi deberet sennæ decocto, extracto, sale, & similibus. Ergo hæc impropria nomina sine ratione, sine necessitate, in animalium lithurgia introducta reijciantur, reijciantur ad mineralium classem. Retineantur humores quatuor, in animalibus pro eorum principijs proximis, quibus constant, quibus valent, quibus ægrotant & persanantur.

Imò & ipsa mineralia solos humores pellunt, vt stibium bilem.

Dantur hydragoga in mercurialibus morbis.

Dantur & in salinis.

DE VERITATE AXIOMATIS *omnia in ea redire ex quibus venerant.*

CAP. X.



ACTENVS pugnatum eſt inter Ariſtotelem & Hollandum,inter Hippocratem & Paracelſum, inter Galenum & Seuerinum, inter Riolanum & Libauium, de rerum conſtitutione, deque earumdem reſolutione. Commune & vulgatum axioma ad placitum interpretatur, malè à multis intellectum, monſtroſis opinationibus dedit exordia, quæ vix iam poſſis euertere. Senſuum citant teſtimonia, artis exempla porrigunt, è-quibus concludunt naturalia mixtioni ſimplici & diſſolutioni peculiaria generationi & corruptioni tribuunt, concludunt vt omnia reſoluuntur in ſalem, ſulphur, mercurium, ſic omnia ex ipſis cōdita eſſe. Naturæ & artis iura confundunt, ſine diſtinctione naturam arti, artémque naturæ tribuunt. Quemadmodum ergo ex axiomate malè intellecto lis exorta eſt, ſic omnes conueniunt bene diſtincto & explicato. Qui ergo volet conuenire Solem cum mercurio, Apollinem cum Hermete, medicos cum Chymiſtis ſic interpretetur.

Axiomatis ſenſus & acceptio.

Vt decet aperiatur.

Reuera communia ſunt ſublunarium omnium principia, communes ſunt omnium matrices, Eadem his & illis elementa.

Communia ſunt omnium elementa.

Proxima verò tantùm variant, quantum ipſa genera. Sua ſunt mineralium, plantarum, & animalium. Mineralia primis elementis viciniora, ipſa habent pro principijs. Aquam & Terram dixit Ariſtoteles, Chymici compoſitius, ſulphur & mercurium. Stultus Paracelſus ſalem adiecit. Plantæ ſuccos habent iam ex elementis, ſi velis ex ipſis mineralibus mutuatos: Animalia quatuor humores. Paracelſus vt omnia perturbauit, ſic confusè communia proxima fecit. Quæ omnibus dedit in genere, particularibus etiam dedit in ſpecie & in indiuiduo. Nec diſtinguit communia à proximis. Reijcit quatuor elementa, quatuor humores, hæc tria ſubſtituit. Quod quàm benè & verè videndum. Age ergo, Libaui, argumentare. Omnia his conſtant, in quæ reſoluuntur, ſed omnia ſoluuntur in hæc tria, Ergo ſunt omnia ex his tribus. Maioris explicationem requiro. Dic, Si conſtitutionem naturalem intelligis, ita eſſe puto: agitur enim de reſolutione rerum naturalium. Itaque nego aſſumptum, quod artem naturæ opponas, quod reſolutionem arte fieri velis. Contendo eiuſdem eſſe diſſoluere & miſcere: quæ natura miſcuit non poteſt ars diſiungere. Nunquam fit reſolutio vſque ad elementa. Imò tria iſta ſi vrgeas, in alia ſimpliciora abeunt. Quæ tamen non ſunt elementa, ex quibus natura res miſcuit. Verè pura aſſumit natura, verè [ſumma & ſummè contraria,

Proxima minimè, ſed variant pro ſpeciebus, imò & indiuiduis.

Sic mineralia habent ſulphur & mercurium.

Animalia, ſemen menſtruum.

Plantæ, ſemina hermaphrodita.

Non poſſunt autem ſingula redire in proxima.

Possunt in communia, neque tamen omninò nec arte.

Sola natura quæ miscuit.

summis qualitatibus prædita illi nota sunt. Ars talia ferre nequit, sensus istis destruerentur. Nam si paulò excedentibus qualitatibus destruuntur sensus, quid erit in omninò summis? Sit ergo dissolutio in postrema, & vera elementa omninò impossibilis. Deinde ab initio mundi res mixtæ sunt vt decuit, de nouo non miscentur. Fit perpetuitas & duratio per generationem & corruptionem. Mixta sunt & proxima cuiusque principia, putà quatuor humores, quæ generatione hominem efficiunt. Iam propone argumentum.

Eiusdem est dissoluere cuius fuit generare, miscere.

His generati sumus, in quæ corrumpimur, sed corruptione in hæc tria reducimur, ergo generatione ex his tribus veneramus. Falsa sunt omnia, vt aliud pro mixtione naturæ & artis resolutione. His constamus natura, in quæ resoluimur. Sed in generationem & corruptionem agamus: nam proxima cuiusque principia habere contendit Libauius. simulque de mixtilibus pauca.

Corruptio generatiua solius est naturæ.

Scitur illud corruptionem vnius, esse alterius generationem. At corruptio generatiua solius est naturæ. Quod si mixtionem nouam supponat illi soli nota erit, non arti. Videtur mixtio necessaria: est vnio eorum quæ disiuncta fuerant. Scilicet corruptione diuersa separantur, sed per minima fit, vt denuo secundum minima vniantur: vbi mixtilia soluta sunt, à contrarijs, omninò pura sunt & simplicia. Sunt verè primis & secundis qualitatibns efficacia. At sola natura hæc mo-

Destructiua artis.

menta poteſt, ars minimè: ſola natura diuiſionem nouit minimorum, ars nullomodo: Sola ferre poteſt qualitates primas in primis ſubiectis, ars non item, quia vtitur ſenſuum miniſterio. Senſiſteria mixta ſunt, nihil niſi mixtum iudicant, ergo non poſſunt eadem eſſe naturæ & artis principia, & elementa. Nec poteſt concludi, Arte hæc proſtrema inueniuntur, ergo dum natura miſcebat, hæc habuit prima. Corruptio quam procurat artificium laborando, à naturali omninò alia eſt: vna ad corruptionem, ad deſtructionem tendit, ad generationem, ad pefectionem alia. Dum natura corrumpit triticum, non ceſſat eius motus, donec acceſſerit noua forma priori omnino ſimilis: ſic generatur ſimile, ſic corruptio vnius eſt generatio alterius. Quod ſi ipſa reſtitueretur forma, ſi eadem numero, quæ diſſolutione deperijt, redderetur, non eſſet ſimilis generatio, ſed eiuſdem repoſitio: vt interim conſtet, ne naturæ quidem id eſſe poſſibile. Ergo malè aſſumis de artis labore naturæ opificium.

Vera & naturalis diſſolutio ſumma habet omnia & puriſſima

Corruptio naturæ terminatur ſequente generatione.

Nunquam vna eſt ſine alia ſimilis.

Deinde natura res ſuas facit ex actu & potentia per generationem. Mixtione ſi res primum coaluerunt, iam mixtæ aliæ ex alijs prodeunt generando: potentia actuatur, fit quod poterat eſſe: vetus forma decedit, noua inducitur. Non prior reducitur, quia non datur regreſſus. Eſt corruptio: non eſſet, ſi maneret forma: maneret ſi redderetur. Dum conceptus, fœtus, embryo ex ſemine eſt for-

Generatione autem quia totum mutatur.

Nec redit quod deceſſit.

Nunquam poterunt proxima generationis principia restitui. ma seminis perit: potestas ad fœtum quæ latebat, actuatur. Fœtus forma succedit in locum seminis & menstrui. Sic de ouo & pullo, sic de seminibus vegetantium. Propterea nunquam resolues fœtum in semen, pullum in albumen & luteum. Ergo hoc modo falsum axioma. Nec potest intelligi de proximis generationis principijs, ne quidem naturaliter, quantò minùs arte, quod tamen passim respondebat Libauius. Quæ opus constituunt ita absumuntur ita transmutantur, vt nullo modo postea existant, ne potentia quidem. Mixtilia quidem manent potentia in mixto, generatiua nullo modo: ampliùs non sunt, perierunt omninò, nomen, naturam, definitionem amiserunt. Totum hoc in hoc totum mutatur, quod non erat, factum est, quod erat corruptum est. Vipera naturæ priuatio dicit vnius ruinam in alterius ortu. Non possunt duo actus simul regnare, simul esse: humores quatuor sanguinis nomine, sic in semen transmutantur vt denuò non possint ex semine redire. Natura nescit regressum, non reciprocat suos fœtus, it prorsum non retrorsum, pergit à simplici ad compositum: dum ex oui luteo & albumine pullus emergit, ita mutantur ambo vt nihil omninò veteris actus maneat. Ouum definit esse, pullus existit, Omnia oui in pullum sunt transmutata: amiserunt omnem potentiam ex qua peti possit regressus. Materia eorum omnem exuit appeti-

Quomodo falsum est axioma de proximis principijs generationis.

Quod tamen contendunt pseudochymici.

Nam si communia solum requirunt.

Nihilo præstabunt separatis elementis.

Vires habebunt nudas & simplices.

tum ad ipſam formam, Satiata eſt & expleta nobiliori & perfectiore pulli.

Idipſum de vegetantibus, de medicamentis conclude & iudica, ſi omnia arte, corruptione, diſſolutione in aquam, oleum & ſalem abeunt, Argumentum eſſe certiſſimum ex illis non veniſſe. Quod ſi quædam veritas ſubſit axiomati, erit in communibus mixtorum elementis, non in proximis generatorum; At generata ſunt quæ eleborantur, Mixtilia manent actu, aut potentia, quæ facile actuantur, dum mixtilia ſuas reſumunt vires & reſtituuntur vniuerſitati vt placuit Hippocrati: Sed ita tamen vt natura ſit quæ miſceat & reſoluat. Non poteſt ars hoc munus, Vnde corruit tota Paracelſi & Libauij Phyſica, tota phyſiologia, his innixa fundamentis. Metheora quæ mixta ſunt imperfecte, arte non poſſis reducere, quantò minus ergo generata. fortaſſe quæ ars componet poterit diſſoluere, ſed hoc nihil ad propoſitum. Naturale eſt quod quæritur.

Peribit forma quæ mixtionis merito aduenit.

A qua potiores virtutes vt ab eſſentia.

Sic deſtruitur tota Paracelſi & Libauij doctrina, fundata in hoc axiomate male intellecto.

Supradictis audio reſponſionem: nempe tria commemorata eſſe vera mixtilia. Mixtionem ex illis eſſe non generationem. Subſtituuntur elementis vulgaribus. Generatione non læduntur. non mutantur. Manent aut actu aut potentia proxima. Sola arte ſeparantur ipſis quatuor verius. Generatio & corruruptio eſt compoſitorum non ſimplicium. Quæſtio eſt de principijs, de mixtilibus de elementis, non de generantibus.

Non obſtat quod reſpondent.

Sua tria pro elementis eſſe

Nam hoc neque conceditur elementis receptis.

Contendimus, inquiunt, hæc vera esse elementa, vera mixtilia, veram dare mixtionem. Illa in mixtis ligata sunt, mixti forma: resolui possunt & suis quæque naturis restitui.

Neque dicitur axioma de communibus sed de proximis.

Non de mixtilibus, sed de generatiuis.

Primæua mixito habuit pura.

Sed iam dictum est, mixtionem esse naturæ, proinde & mixti resolutionem. Eiusdem esse constituere & dissoluere. Deinde in singulari generatione denuo non concurrunt mixtilia, in corruptione non separantur: non fit resolutio vsque ad prima. Primæua mistio nunc satis est. Rerum semina ex illis mixtilibus sunt, per quæ cõtinuantur generationes. Oportuit ergo hæc tria semina rerum omnium, sic ab initio esse permixta. Quod si vt dictum est generatione, pereunt actus, formæ, vultus: sal nomen, officium vires proprietates salis amisit, amissa forma. Amittitur corrupta. Eam deponit per quam erat.

Ex ea iam generationes continuantur nec corruptiones ad illam contendunt.

Non potest illa restitui corruptione compositi, in alia enim corrumpitur. Ergo quæ corruptione habentur alia sunt à generatiuis. Ergo non habebis illud sal rhabarbari quod dederat natura, in generando rhabarbaro, quod fuerat absumptum, transmutatum & καθόλου immutatum. Vnde apparet vanitas huius responsionis.

Communia non habebunt vires domesticas singularium.

Addam ita plus artem deprimere quàm iuuare. Nam principia rei vires totius non habent. Si opus in ea redit, vires singularium erunt simplices. An semini ea insunt quæ singulis partibus? An semen iuuabit epi-

lepticos vt cranium, vt Alces vngula? An semen citri, refrigerat vt succus. An eadem potest quæ caro & cortex? Si ita est, assumenda sunt rerum semina, in quibus solis laborandum. Apage rādões, flores, folia, cortices. Scio hæc deliria Paracelsicorum esse, sed quàm verè patuit ex antedictis & sensus ipse iudicabit. Quasi verò ex glandis cineribus cauteria parentur vt ex ligno? Propterea etiam si euicisses, hæc tria esse rerum omnium semina, non tamen sequeretur medicamenta in ea resoluenda esse vt vires præstò essent. Alia sunt compositorum, alia simplicium iura. Alia principiorum & principiatorum, mixtilium & mixtorum. Ergo quocunque se vertat author, inanis est labor. Si proxima vis, dictum est non dari in ea reditum. Si communia & restituantur, vt non erant ante, singulariter determinata, sic nunc non erunt, Nam vt voluit Hippocrates redduntur vniuersitati. Ergo resolutorum vires erunt communes, non particulares, non ad hoc vel illud definitæ. Tantum poterit sal cichorij, lactucæ, quantum absinthij & similium. Cum tamen morbi sint singulares, & particulares requirāt functiones. Tantum de illo axiomate.

Sulphur commune non iuuat epilepticos.

Non ignis communis.

Sed essentia & facultas quæ in propria est.

Ergo si victeris in constituendo, victus eris in laborando.

ALCHYMIAE NECESSITAS in medendo eiusque beneficia.

CAP. XI.

Medicus Chymicus ἰσόθεος



IPPOCRATES medicum philosophum ἰσόθεον existimauit, quod ad ea quæ ad sapientiam requiruntur vna contineantur medicina. Dixit illum admirabilem, qui quod est in morbis diuinum, in medicamentis, in natura ipsa præuiderit. vnius Chymicæ associatione, Medicina id potest: Quasi medicus Chymicus ille sit ἰσόθεος. Non est enim medicina, quæ id non potest non est quæ solis inhæret corticibus rerum. Quæ in rebus nihil elementis diuinius, nihil præstantius quærit. Vera scientia, vera medicina τῆς σοφίας ξύνοικος altius quid meditatur, proprias rerum essentias quærit, actionum fontes. Nam sine hac diuinitate, potest-ne continere ea omnia quæ ad sapientiam requiruntur? potest-ne medicus esse ἰσόθεος & solis corruptibilibus affixus, nihil diuinius exquirere? Quo quid præstabilius, eo maiorem requirit sapientiam, eo maior difficultas. Quæ autem erit in arte, si omnem sustuleris diuinitatem, Tum ars erit breuis non longa, experientia tuta & facilis, si sola manifestarum rerum ducitur cognitione. Sicne Thessalus iurabat, trimestri spatio, absolutum medicum formare? formarum & for-

Quia scrutatur, quærit essentiam in rebus.

Qua efficacia sunt omnia.

Qua catharticaagunt.

malium instrumentorum noticia, melior pars est medicinæ. Inde certitudo & constantia omnis. hinc omnis effectus eruitur laudabilis. Et quid possunt cathartica si formæ considerationem sustuleris? quid alexipharmaca, cardiaca? imò quid medicamenta quid alimenta? Et hæc sunt tamen arma ad debellandos hostes, hæ sunt θειῶν χεῖρες hi νόσων ἐχθροί. Omnia, Galenus iunior ad temperiem reuocauit, sed rerum vsu, doctrina, & ætate sapientior, istam agnouit diuinitatem, asseuerauit & alimenta & medicamenta plurima, substantiæ similitudine agere. fecit commentarium de ijs quæ formaliter agunt: quem vidit Trallianus, cuius meminit ipse Galenus commentario in 6. Epid. Rhazis vidit librum de venenis, vt est 20. conti. c. 2. *De qua Galenus.*

Multis prætereà nominibus laudatur & in medicina exoptatur Chymia. quod doceat medicamentum vniuersale, non solum morborum omnium præsidium, sed sublunarium omnium fomentum, ornamentum: vt in omnibus inest, sic omnibus conuenit. Quia tamen homini omnia sic illi hoc vnum. Vniuersale inquam, quo sanitas seruetur, vita beata atque tranquilla traducatur, morbi imminentes arceantur, præsentes demoliantur. Quo sufficiente tot particularia cessant. Parat autem exquinta essentia in rebus omnibus contenta, qua natura nostra effœta, labascens, ægrotans, iuuatur, fouetur, sustinetur. *Quia celebrat medicamentum vniuersale.* *Quod ipsa fere est natura.*

Aucta & roborata natura morbos per se prosternit. Omnes scilicet ab eius impotentia. Demonstrat autem quintam essentiam non solùm hoc opere, sed & ratione. Cœli opera non est inutilis: Agendo in inferiora, conseruat, generat, fotu viuersali ac veluti incubatu. Actio fit tantum inter symbolica. Cœlum & elementa, diuinum & corruptibile, differunt plus quam genere. Ergo medio vinculo copulantur. Interponitur spiritus mundi: natura illa vniuersalis, diffusa per vniuersum: cuius est particulares naturas fouere, restaurare. Est in magno, vt in paruo mundo. Singulis partibus iuuata est, implantata diuina essentia, quæ simili à corde per arterias allapsa nutritur, restauratur: A cerebro per neruos decidua animatur, agitatur. In singulis mundi indiuiduis, inest spiritus innatus, implantatus, qui vniuersali illa natura continuo renouatur. Sol & astra, sunt maioris mundi partes principes, suis irradiationibus, influxibus, sublunaria omnia illustrant. Sol non oculus, sed cor mundi est. Diffundit viuificum nectar in subiecta omnia. Ergo quædam permanens substantia, cœlestis, diuina, ab elementorum concretione alienissima: quæ singulorum ortui vt accessit, sic per eorumdem dissolutionem, cur non educetur? fundata est in subiecto tenaci, plus minus, pro rerum conditione. Cum illo manet, abit, dispirat, redit, recedit; inducitur, extrahitur. Neque enim pura consistit

Ipsa essentia efficacissima.

In rebus omnibus conspicua.

In vniuerso.

In homine.

A cœlo oriunda est nõ penes qualitatem, sed penes substantiam.

ſiſtit & ab omni ſubiecto nudata. Vt non nuda naſcitur, ſic nuda non extrahitur. Non ergo cœlum ſolam qualitatem impertit, ſed & permanentem eſſentiam, diuinam ſubſtantiam: nec propterea imminuitur. Cur enim potiùs quàm elementa corruptibilia? Quod vni decedit, accedit alteri. Nunquam fit generatio ſine corruptione, nec contrà. Nihil de nouo generatur. Nihil in totum perit. Nulla eſt rerum annichilatio. Nec erit in generali mundi cataclyſmo, In vniuerſali & iudiciali conflagratione. Eſt in natura mortali, aliquid diuinum & immortale quod annichilationem neſcit. Quod æternum durat.

Nec detrimentum patitur cœlum.

Quare non eſt generatio ſine corruptione.

Laudatur præterea quod medicamenta particularia reddat, tutiora, gratiora, efficaciora. Præſtat autem medicus qui citò, tutò, & iucundè; qui ægrotantium εὐφορία minori pretio, ſanat. At hæc cuncta in his ſunt medicamentis. Citius agunt, quia craſſo corpore quo tardatur actio ſoluta ſunt. Tuta, quia naturæ ſimilia minùs illi negotium faciunt: Quia ſunt ὁμόφυλα: quia certò ſcias quem humorem, quantum, qua via ducant. Conſtans enim eſt eſſentia à qua actio: neſcit mutationem. Tuta, quia his carent peregrinis, quæ aut naturam lædunt, aut actionem eſſentiæ impediunt. Iucunda doſis exiguitate, ſumendi facilitate. Gratia in ſapore voluntario, εὐφορία in operationis facilitate.

Laudatur etiam in labore particularium.

Quò præſtantiora multò ſunt.

Efficaciora ſunt, quia depuratiora, quia formæ viciniora. Formæ eſſentiæ non ſolùm

Efficaciora
Tutiora.

Similiora. ſunt liberiores, ſed ſunt etiam ſupra materiam euectæ, exaltatæ, ſublimatæ. Materia vbi neceſſe eſt, ſpiritui aſſimilatur. tunc eſt ſequacior. Similiora ſunt, nam natura noſtra poſita eſt in calore & ſpiritu: at hæc talia ſunt aut ad ea accedunt proximè. natura eſt quæ valens morbos ſanat, eius impotentia morbi fiunt. His potens, valens, fortis redditur. Ex qualitatibus elementarijs cœleſtes iudicantur : nam ſi elementares in excelſiorem gradum prouehuntur, quidni & cœleſtes, quæ nullo poſſunt imminui, labefactari?

Elaborata integris præſtantiora fiunt. Sic ſpiritus vitrioli, calor, & materiæ tenuitas, multò maior, quàm eiuſdem integri. Therebinthinæ aqua, oleum, eſſentia, integræ plurimum præſtat. Sic toti ceræ eius oleum. Iddem de thymo, lauro, iunipero, caryophilis & ſimilibus. Quæ alterando ſeipſa integra plurimùm ſuperant, calore, materiæ tenuitate. Nec eſt propterea calor cœleſtis, *Non quod cœleſte fiat elementare.* in ignenm mutatus, quod Grammano obijciebat Libauius. Vt nec cœlum in elementa, nec cœli portio. Eadem eſt ratio totius & partium. Nulla eſt proportio, cœleſtis ad elementare : Cœlum eſt incomparabile elementis, Impoſſibilis ergo commutatio. Calor natiuus, & eſſentialis, ideſt eſſentiæ diuinæ *Id enim eſt impoſſibile.* proprius moderatus eſt, nunquam excedit, nunquam vitio datur nec poteſt, Quo vberior, eo omnia fœliciora. Eſt materia elementi, ita attenuata, calor eius adeò auctus, *Non poſſunt obeſſe qualitatibus manifeſtis.* vt ad elementi ſummitatem accedat, nec

propterea nocentior eſt. Nam illa exuperans qualitas aliquando neceſſaria: quando nocet igne proprio miteſcet, integra manente eſſentia quod nullum habeat contrarium quo labefactetur. Non patitur ab elementis. Natura, de induſtria calori dedit ſpiritum ætherium, vt eſſet obſequentior. In vtroque ineſt natura, & facultas vera eſſentia. At corpus illud ſpirituoſum præparationibus magis ac magis attenuatur, vnde calor maior. tunc in tali ſubiecto collocata eſſentia multa poteſt efficaciſſimè.

Quare niſi ſint neceſſaria tolluntur.

Purgantia & ſuum inuenient locum. Vt maior eorum neceſſitas, ſic beneficia maiora. Ingrato ſapore diſplicent integra, admiſtæ ſunt impuritates. Hæc tolluntur ſeparatione & depuratione. Multò magis igne naturæ adiecto, qui tum perfectionem addit labori. Menſtrua nobilia animalium, vegetantium, auxiliantur. Opus abſoluitur, ſi dictum ignem contineant, quanquam ſolus illa poteſt potentiùs & celeriùs. Tunc hæc medicamenta in menſtruis illis, quaſi in animalium ventriculis, feritatem, cacoëthiam, deponunt, puritatem aſſequuntur. Sic lac euadit purgatorium nutricis medicatæ. Sic capræ belleboro nutritæ.

Cathartica id ipſum teſtantur.

Deponunt noxium, retinent vtile his laboribus.

Neque enim purgandi facultas neceſſario coniuncta eſt cum ingrato ſapore. Hoſpitatur illa in diuiniori ſubiecto. Pendet à cœleſti eſſentia quæ promiſcuè, huic vel

Sapor ingratus eſt ſeparabilis ab eſſentia.

illi peregrino adiungitur. Non mutatur illa, illo permutato & alterato. Constans manet, casta & inuiolata, quia nequit ab elementis perpeti, alterari, immutari. Scilicet effectus certa sunt causarum argumenta: sed cathartica istis elaborata artificijs, eadem edunt munia, quæ integra. Extractum, essentia, rhabarbari, sennæ, agarici, humores purgabunt congeneres, analogos, non aliter ac infusa & decocta. Ergo in his eadem retinentur quæ in illis, nisi quod perfectiora sunt omnia.

QVALIA SINT CHYMICA LIbauij medicamenta, an præstent ordinarijs Parisiensium, an contra.

CAP. XII.

Libauius est præstigiator, & falsus iatrochymicus.



OMNE tulit punctum in medendo, qui citò, tutò & iucundè. Galeno-chymicus si quis alius id potest: non Paracelsista qui falsus medicus, qui falsus Chymicus, non præstigiator qui falsa pro veris colit, qui artificialia naturalibus supponit. Talis Libauius est. Præstigiator est testimonio Martini del Rio in opere de disquisitionibus magicis. Talis patebit ex sequentibus. Maximè verò ex capite de gemmis Alchemiæ suæ. Medicamentis suis non præstat quod pollicetur. Deteriora multò sunt integris. Tantùm sunt me-

Falsa veris substituit, & artificialia naturalibus.

Suis non præstat quod pollicebatur.

tuenda quantum elaborata. Exempla ſint cathartica. Pro cæteris ſint colocynthidis principia, elemẽta, ens primum, ens ſecundum, prima & proxima materia, arcanum, myſterium, eſſentia, quinta natura, aſtrum, cœlum, magiſterium, extractum, ſal, oleum, balſamum mumia, & ſi quod aliud fingi poteſt dementiæ propinquius vocabulum. Talia enim, ſi Dijs placet Alchemiam Libauij conſtituunt: Ex ipſo Paracelſo deprompta ſunt omnia. Omnia cum Pariſienſium vulgaribus cõferamus. Chymica enim Pariſienſium longo ſuperant interuallo Libauiana. Nolunt cum illis conferri. Duellum negat, nobile ignobili, verum falſo. Integra quidem & ordinaria defectum docebunt. Tria omninò ſunt quibus diſplicet catharticum, excedens temperamentum, ſapor ingratus, & cacoëthia. Vna exoptatur purgandi facultas, à cœlo oriunda, ſi Meſuæo credimus, non Libauio. Chymicum erit medicamentum, id eſt citum, tutum & iucundum, cum cœleſte donum reddet his tribus ſpoliatum. Salubrius erit & præſtabilius quod accedet proprius. Pariſienſes compoſitionibus ſuis ea tollunt quibus nocent integra. Adijciuntur mitia quæ doſim quidem augent, ſed feruorem reprimunt: celeritatem retardant adſtringentia ſiue ſtyptica: cacoëthiam tollunt ἀντιπαθῆ ἢ alexiteria: ingratum ſaporem demulcent alia. Experientia rerum magiſtra effectis probat omnia.

Id docent colocynthidis labore Libauiani

Quibus quod nocet fit nocentiſſimum.

Pariſienſes minora reddunt omnia.

Dum naturæ compoſitioni artificialem addunt.

In Libauianis magna sunt omnia. Vnicum bonum plura mala.

Tot mala si exaltentur pessima erunt

Libauianorum exigua quidem est moles, sed vires maximæ, vires tam malæ quàm bonæ: vt non minùs sit in exiguo corpore magna noxa quàm magna vtilitas. Sic natura maxima est in minimis. Extractum colocynthidis ex mente Libauij elaboratum fidem faciet. In integro pomo, calor, amaritudo, cacoëthia, per vastum corpus disseminata, minùs necent, virtutes sunt dispersæ, minùs efficaces. corpore, magmate, crassamento, obtunduntur: liberatæ fortiores sunt, malæ pessimæ sunt, calor vrit, cacoëthia necat, amaritudo ingratissima est: tantum naturam lædit, quantum amica dulcedo iuuat.

Et quia tuta non sunt solitaria, correctoria requirunt vt alia.

Sic labor in damno est.

Quod si liquore soluas vt malum diluatur.

Age verò Libaui, vncia ex libra reducta talis est, summè calida, summè amara, summè maligna. Nec propterea pura & impermixta audeas porrigere. Repetis integrorum conditiones, quas auersabaris. Verbo reijcis quod operibus cogeris amplexari? Itane Parisienses catapotia habent, quæ colocynthidem innoxiam admittunt? An præstabit extractum, quod & correctoria requirit, quibus dicta mala moderentur? Si solitarium detur, erit quidem moles exigua, sed cacoëthia nocentior. Sola gratia erit in paruitate: tantulum tamen bonum, malis pluribus & maioribus obscuratur. Tum periculi plena, liberior cacoëthia, caliditas, amaritudo. Nocent visceribus, ori & ventriculo displicent. Sed multò magis si opus τὸ ἔργον exaltetur. Si secundum totum, vires auge-

ſcant. Si calor, acrimonia, amaritudo, malignitas, digeſtionibus, circulationibus in altiorem gradum euehantur. Quidni enim malum vt bonum exaltabitur, cùm non ſeparentur in tuis? Guſtu explora extractum colocynthidis etiam exaltatum, erit longè feruidius, acrius amarius integro. Si eo ſolo vtaris, cardiogmo, nauſea, vomitione, virium exolutione, confici te percipies. Proprerea dum præſcribis, correctoria non omittis. Si verò potio requiritur, incredibilis copia liquoris adijcietur quæ guſtum fallat. Ergo quo iuuare putabas, eo noces plurimum. Quibus tua commendabas, ijſdem reijcienda ſunt. Quæ reſpondebis de ſeparatione boni à malo, verba ſunt ſine veritate. Demonſtrare decebat in arte tua: in qua tamen omnia enumeratis malis onerantur. Purum & impurum, indoctè & ἀχυμικῶς inculcas. Et hæc tamen ad oſtentationem dicuntur, non ad rei veritatem. Quomodo dabis magiſterium ſi ſepares? Ita-ne deſumptum iuras ab opere ſapientum? Clamant tamen omnes, nihil eſſe ſuperfluum, nihil abijciendum. Materia eorum eſt ſimilaris. Falſo in tria diuidis, vt antè monuimus, in ſalem, ſulphur, mercurium. Vnico illa conſtat, quod vario naturæ motu, vario vultu apparet. Sal non eſt niſi ignis, nec ignis niſi ſulphur nec ſulphur niſi argentum viuum. Hæc aurea verba Alphidij ex ſchola Pariſienſi collige. Hoc ipſum ad reliqua ſublunaria transfer.

Incredibilis erit copia liquoris, tumque moles amplior quod tamen reijciebas.

Sic mala & mole & virtute erunt.

Vana eſt boni à malo, puri ab impuro ſeparatio.

Nihil tale habent ſapiẽtes.

Nec ita erit magiſterium.

Separationem non admittit.

Vnionem non diuiſionem amat natura.

Ignis naturæ hoc munus eſt.

Magiſteria vera habebis, totum purificando, totum perficēdo. Si venenum tollis quomodo inde ſummum conſtrues medicamentum? Cur dicetur theriaca, ſi non adfuit venenum? Vbi ſerpens, vbi baſilicus, vbi buffo, ſi ſeparetur purum ab impuro, venenum ab alimento? Quid ſi medicamenta omnia habent aliquid cacoethes? Mihi crede, tot peccata tua ſunt, vnius ignis ignoratione. Et audes huius lumine deſtitutus, artificia chymica condere? Et audes probis inſultare, & tua maleficia pro veris operibus vēditare? Huius enim defectu talia ſunt. Malim ego Pariſienſium & omnium Dogmaticorum vulgaria pharmaceutica, quàm tua, cùm illo beata non ſint. Tua ſine eo parata, venena ſunt. Audiſti ſapientes venenum nominantes in prima operatione. Vin tu tibi & tuis credam? labora philoſophicè. Exalta bonum ſublato ſi velis mutato malo. Deſtrue malum, ſublima bonum. Pereant feruor, acrimonia, amaritudo, cacoëthia, ſimulque vim purgantem exalta. Tum dicam te Chymicum eximium. Tum Pariſienſes habebis fautores. Donec id præſtiteris, ſine vt te nominem cum del Rio præſtigiatorem non Alchemiſtam. Laudabo interim Pariſienſes qui, quod nocet corrigunt, meliorum additione: tantùm abeſt vt malum exaltent, vt frænum tollant. Inueſtiga ignem nominatum, in eo enim ſitæ ſunt Chymiæ opes.

Venenum, impurum, retinet & mutat alexiterio

Huius ignoratione mala Libauiana.

Venena ſunt tanquam in prima operatione.

Sic manet Libauius præſtigiator.

Vincunt Pariſienſes Libauium.

Omnia debent elaborari cum formæ con-

seruatione. Solus ille ignis id potest. Sine il-lo cætera corumpnntur. Prioris corruptione multa exoriuntur. Essentia quinta vna est, si-milaris & indiuidua. Quomodo in tria abi-ret? Sic quæ fingis impossibilia sunt. Non est enim artificialis essentia, non est ex tribus illis, sed diuina & cœlestis, primitus à Crea-tore rebus omnibus indita. Quid ni verò & ipsis elementis? Cœlestis est, quod cœlestem lucem æmuletur. Cœli nomine intelligitur ex creatione. Non ergo debet, imò nec po-test separari. Formæ physicæ, qualis illa est, sunt à materia inseparabiles. Earum actio est corporea. Non possunt sine corpore consi-stere, inquit Aristoteles. In ipso separationis opere perirent singula. Pro vna multæ resti-tuentur. Non datur regressus ad habitum. Non redit forma quæ decessit: imò nec simi-lis. Non accedit talis forma, nisi sub tali ma-teria. Materiæ præparatio allicit formam. φιλάνθρωπος natura, nobis dedit tot, talia, tan-ta, quæ in medendo sint satis. Deus naturæ omnia fecit, in pondere, numero & mensu-ra. Non deficit, nec abundat in necessarijs. Corruptione integri in illa tria, non solum natura rei perit, sed contraria reponitur. Mu-tatio est à contrario in contrarium, à bono in malum, ab vtili in nociturum. Ita acetum ex vino, Ita ex sanguine & semine, morbi ve-nenati. Quid si separatio fieri nulla debet? Natura de industria, ex pluribus constare vo-luit medicamentum. Potest-ne ignis mode-

Nam retinet in suis formā propriam quæ perit in Libauianis.

Falsa est quinta natura Libauij.

Vera cœlestis est, non artificialis, non composita.

Non potest nec debet separari.

Imò retineri & conseruari vt monent philosophi.

Separatio corruptio est.

Corruptum contrarium est integro.

Integrum ex solis necessarijs constat. rate calfacere, nisi contrario moderetur? Scripsit Hippocrates morbos fieri cùm humores separantur. Signum est pessimum syncera deiectio. Consultò iuncta sunt crassa subtilibus, corpora essentijs, vt in agendo mutuis sibi starent auxilijs. Tales sunt tui labores, Libaui, quos posthac sapientum magisterio velata ne obtrudas moneo.

Quæ coniuncta bona sunt separata sunt pessima.

Magisterium odit separationem.

Qui autem sunt illi tui Chymici, qui ex tuo modulo laborant? Qui illi quos Consentes adhibuisti in fabricanda censura? Satis-ne fuerit dicere Chymici hoc dicunt, Hermetici hoc asserunt, sine authoritate, sine demonstratione. Abstine deinceps ab eius-modi imposturis, quibus scientiam diuinam deprimis, probatos authores lædis, ea imponis quæ nunquam cogitarunt. Ne putes tamen, me ea decoxisse quæ laborando nascuntur medicamenta. Laudo sales, olea & similia. Suos habent vsus, suas vires, sed nullo modo similes rebus à quibus decesserunt. Non possunt pro illis substitui. Non potest ex tritico, ex pane, sal, oleum, aqua, separari, quæ denuò coniuncta panem restituant. Aptè quidem diuiditur vinum, in phlegma, salem, spiritum: sed si reunias non vini gratiam, non vsum, non beneficia proferent: etiam arte depurata singula. Febris in medendo suos habet vsus, morbis quibusdam salutares. Sales plurimi sunt caustici, pro cauterijs potentialibus vtiliter vsurpantur. In oleis rerum calidarum cinamomi, caryophilli thy-

Omnium præstantissimum habetur, naturam omninò imitatur.

Nec tamen separata sunt sine vsu.

Sed non habent naturæ vires vt volebat Libauius.

Vrentissima vt olea multa hoc ardore essentiæ repugnant.

mi, caloris exuperantia metuitur, qui tutus erat in integris. Qua ergo fronte, pro essentijs ista venditas, cum laudatissima essentia diuina & cœlestis sit mitis & blanda. non exuperet, non detur vitio eius calor? *Essentia cœlestis est ἄπιος.*

Quod si totum elaboretur pholosophicè nulla constituentium διαρθρώσει dearticulatione, ignis diuini, diuino nutu, totum perficietur, totius vires salutares essentiales exaltabuntur, multiplicabuntur quantitate & viribus, in vnico & Hermeticè obsignato vase. Sic erit essentia supra corpus plurimum euecta, vires erunt admirandæ, tantum opus hoc distabit ab integro, quantum sanguis, ros, gluten, cambium, spiritus animalis à pane, carne, vino, insculo. Tantum à tuis artificijs quantum opus sapientum, ab improborum maleficijs, quantum natura ab artificio. Nulla erit ἐπερώτης, nulla τέλας, ne quidem monarchica. Sic verum erit magisterium. Sic sacrum nomen merebitur, non tua impura, de quibus verè in Epistola. 29. lib. 2. antequam transmutatus esses, dixisti. Arcana magisteria & reliqua, iudicem esse otiosa nomina Paracelsicæ superstitionis. Vide ergo quam herbam expectes ex Riolano his armis deuicto. Ego pro Riolano porrigo has rosas, quibus asinus etiam Apulei posset restitui. patere si non sunt sine spinis; spinas nobis dedisti sine rosis.

Vires eius vero magisterio exaltantur & multiplicantur.

Nullus probatus author cum Libauio loquitur.

Imponit arti & artificibus

Ergo Libauius non herbam, sed rosas habebit.

Quæ sint sanitatis nō victoriæ symbola.

EXERCITATIO NOBILIS DE cœlesti essentia tanquam viuentium fundamento, morborum præsidio.

CAP. XIII.

Corpus non animatur nõ viuit, nisi fuerit conformatum.



ITA est animæ permanentia in corpore conformato. Est lux corporis, vt mors tenebræ. Anima ignis est. Ignis naturæ ardet, in humido oleoso. Corpus conformatur, non instrumentorum multitudine, sed virtute formatrice, quæ sua habet instrumenta. Conformando corpus, dignum reddit formæ venturæ habitaculum. De hac, non de anima, audiendus Aphrodisæus, sibi architectari domicilium. Diuina est essentia, rebus omnibus à Creatore data, cœli nomine in creatione mundi expressa. Hac turgent semina. In hac, inquit Trismegistus, τὰ σπέρματα τῆς παλιγγενεσίας ἐν αὐτοῖς ἐσπερμολόγουν. Propterea καὶ θεοὶ πάντες κατὰ διερῶσι φύσεως ἐν σπόρου. Animam præcedit in seminibus. Materiæ κατασκεύη est Fernelij. hic est materiæ appetitus, diuini illices Synesij, symbolicæ illecebræ quibus materia formam, corpus animam, tanquam fœmina marem expetit. Sic medium est vinculum, copulans cœlestia terrenis. Hac grauidus superiorum spiritus, fit conciuis elementorum. hoc est cœli Opisque matrimonium. Hi sunt Platonis annuli, hæc Homeri cathe-

Per διαπλαστικὴν & instrumẽta.

Quæ quinta est essentia siue natura.

Materiam conformans & præparãs formæ aduentanti.

Vt in seminibus rerum, quæ ob id diuina dicũtur.

Præparatio siue cõformatio vinculum est superioris & inferioris.

na aurea, hæc cœlestis essentia, quæ absente anima opus seruat & moderatur. Præsente illam iuuat in agendo. Multa facit anima eius ope, quæ sola non posset. Dum semina animantur ac viuunt, anima imperat essentiæ, essentia nobiliori mancipatur. At extincta vegetans vt in radicibus, folijs, animalium partibus, vni formatrici, quasi condito testamento, quasi abdicato magistratu, suas delegat functiones. Tunc medicamenta viuunt sibi. Assumptorũ nostra anima essentiam mouet. Est nostra natura rheo, sennæ, pani, vino, loco propriæ vegetantis. Tunc illa viuunt nobis. Viuere enim dicuntur quæ agunt, vt mortua, quæ omni prorsus agendi potestate destituta sunt, latè vsurpato vitæ significato. Sic inanima animantur. Sic plantæ, bruta, fiunt partes nostri. Sic medicamenta proprias exerunt virtutes. Quæ potestas latebat actuatur. Ex ferijs ad opus consurgit. Cum præcedit animam vt in seminibus, ad hoc vel illud indiuiduata est. Symbolum habet cum forma adueniente. At in emortuis, amisit illam hæcceitatem Scoti. Vna hominis natura, in his & illis, hanc energiam excitat. Anima brutorum iddem potest.

Symbolum est agentium & patientum mutuo.

Anima nondum præsente formatrix imperat.

Præsente vero obsequitur, & iuuat plurimum.

Absente siue pereunte vegetante, formatrix est totius rectrix.

Hanc essentiam Aristoteles dixit naturam & facultatem. Vitale spirans & actiuum principium non languidum, non otiosum. Manus autem habet, quibus efficiat, instrumenta dixere. Calorem dico, spiritum & humidum primigenium. Coniuncta omnia to-

Cum suis instrumentis constituit totam rei substantiam.

Calidum innatum.

Partem siue substantiam solidam. tã rei substantiã cõplent. Hinc manat occulta proprietas, Occulta illis qui manifestis qualitatibus tribuũt omnia. Fernelius vno nomine cælidi innati designauit. Eodẽ Galenus significauit substantiã seipsã mouentẽ. Hippocrates quid immortale. Cũ autẽ partiũ similariũ, solidũ sit fundamẽtum, sic Galenus: Vis omnis corporis nostri in solidis partibus cõsistit, in ipsis sanitas est, nec morbus alijs expellitur præsidijs, quã patiũ solidarũ integritate. Talis facultas in medicamentis est, à qua vis omnis morbicida ducitur. Talis in alimentis, cuius simili nectare, partium corporis nostri substãtia pascitur. Talis in venenis, cuius pernicie balsamum nostrũ, vitalésque spiritus in proprio fonte corrũpuntur.

Hinc tota virtus partis Medicamenti Alimenti. Veneni.

Cum instrumentis, vt nascitur, sic elicitur. Nuda autem non nascitur, solitaria non venit, sed suis stipata instrumẽtis. Nec etiam nuda & solitaria elicitur, sed suis perpetuò sociata ministris. Sẽper cum spiritu habetur, sæpius vtrùmque cum oleo, quod optabilius. Nam fugax spiritus, oleo sustinetur, retinetur. Sic habetur tota totius rei facultas, si cõseruator naturæ ignis adhibeatur.

Semper cum spiritu, sæpe cum oleo.

Vt & per insolatum oleum. Rudimentũ & argumentum videatur in oleo præstanti è rebus extracto, vase cõclusis, Hermeticè obsignato, & Soli exposito, donec oleum diffluat, solius naturæ, solaris ignis ministerio. Ipse calor est, qui in vniuerso maturat omnia, qui in nobis bona omnia facit.

Sol, est ignis naturæ pater.

Instrumentorum autem mutua sunt auxilia. Sic autem mutuò se fouent iuuantque singula. Neque contrarietas in illis est, vt in elementis, sed amabilis concordia, vnio indissolubilis. Calor qualitas est, subie-

ctum habet analogum, tenuissimum, nobilissimum lucidissimum. Spiritus est, mediam naturã participans. Qua corpus, cum corpore elemẽtari conuenit. Quà substãtia per spicua, cum cœlis. Ambo subiectũ volebant cõstantius, quo eorum pernicitas sisteretur. Nõ decebat vitam animantiũ, in tam lubrico subiecto collocare. Datum est humidũ, oleosum, tenax, viscidum, in quo dum constanter arderent & lucerent calor & spiritus, vitam, toti corpori quasi lucem, impertirent. Humor ergo his duobus animatur. Illa duo humore nutriuntur & fulciuntur. Vt calor non fuit elemẽtaris, sed diuinus, cœlestis, Solaris, sic nec quiuis humor. Aërius spiritui conuenit, putredini aduersatur, durat diutiùs. Fouet calorem similẽ. Aqueus calori iũctus, author fuisset putredinis, citò exsiccaretur, calorẽ extingueret. Ergo humidum fuit, oleosum, tenax, viscidum, vix dissipabile, perparũ exhalabile. Calor mitis blandus, non acer, non incendiarius. Spiritus tenuis, mobilis, lucidus, essentiæ intestinus. Talis est tota rerum substãtia. Vnde oculta omnis proprietas, quæ non calore, nõ frigore sese manifestat, sed his suis & recõditis viribus. Sic ergo in omnibus latet τὸ θεῖον Hippocratis. Deorum plena sunt omnia. In vilibus rerum excrementis, In casa Heraclyti dij in sunt. Hæc est quinta essentia in re qualibet conclusa. Ignis cœlestis, in abiectissima animante inclusus, hic infusus calor diuinus: Impressa & infixa diuina essentia, quam iubet Hippocrates obseruare, etiam in morbis.

Spiritus volans oleo constanti sistitur.

Humor duobus animatur illuminatur.

Duo humore nutriuntur.

Fauor quoque est à mutuis conditionibus.

Alienis lædentur.

Ergo vt omnia miscentur

Vt omnium materia præparatur & disponitur ad formæ receptiuitatem.

Sic in omnibus inest formatrix, & eius instrumenta.

Quam Aristoteles dixit in omni forma, quam Plato significauit in omni generatione. Quæ est in omni mixtione. Eius vestigia, vbique prostant, in magno & paruo mundo. Vbique est, vbique inuenitur.

Est in morbis
In generatione.
In forma.
Argumenta dant cœli.
Salamandra.
Phœnix.
Alcion.
Aquila.
Ceruus.
Plantæ.
Aurum.
Gemmæ.

In paupere, vt in diuite, Sed in vno plus in altero minus. Dispensatur inæqualiter, sed iustè. Sic natura γεωμετρίζει. Infinita sunt exempla æternitatis. Cœli actiui & efficaces sunt incorruptibiles. Salamandra quæcunque tandem sit, siue elixir philosophorum siue quid aliud, πυρομαχίαν instituit. In igne viuit, nutritur, augescit, non frigore ignem extinguente. Nam igneæ naturæ est. Vnū quodque nutritur simili. Phœnix per latentem essentiam renouatur. Alcion carnem habet ἄφθαρτον Aquila ætate confecta, senio reflorescit. Ceruus ter Nestoreos viuit annos. Plantarum plurimæ semper virent vt ἀδιανθῶν & ἀσπερματῶν genera. Inter metalla, aurum inuictum ignibus est. Lapides pretiosos in sæcula durabiles testatur Hermetis tabula smaragdina, ditata aurificio. In singulis generibus, est aliquod vnum quod sui generis, decus & palmarium sustinet. In brutis apis, in vegetantibus vitis, in mineralibus aurum, essentiam præbent χρόνῳ edacissimo haud cessuram.

Rationes testantur.

Ab effectuum generibus.

Idipsum his rationibus suadetur, vt maneat inuicta hæc veritas, ratione experientia & authoritate asserta. Quot sunt effectuum diuersa genera, tot sunt eorum causæ. In similaribus enim, vnum est vnius principium 9. metaphysi.

9. metaphysi. Inuictis argumentis quatuor elementa demonstrauit Aristoteles. Cœlum quintum elementum non sine causa dixit lib. cœli. στοιχεῖον ἐστιν ἕτερον τῶν τεττάρων ἀκηρατόν τε καὶ θεῖον. quidni ergo erit in mixtis cœlestis portio? Inferiora reguntur à superioribus, motu, influxu, & lumine: actio non fit nisi mediante symbolo. Non erit scientia de rebus naturalibus, nisi aliquid habeat animæ simile. Intelligit scibilia, sibi assimilando quantum potest. Materia sublunarium ab elementis est, forma verò ab ijs quæ semper mouentur 1. meteor. Formam à cœlis esse pluribus demōstrauit diuinus Fernelius libris de abditis rerum causis. Sic autem ego.

A superiorum & inferiorũ actione & passione.

A symbolo agentium.

Quod est & in rebus scibilibus cum animo.

Forma rei, ab elementis est aut à cœlis. Si ab elementis, aut ab eorum qualitatibus, aut à substantijs. Si primum, forma erit in accidentium genere, quæ tamen potissima est substantia. Nunquam mille accidentia vnam constituerent substantiam. Imo nullum accidens potest, sua virtute attingere, formæ aut substantiæ productionem. Nihil enim ex se, agit supra vires suas. Sunt rerum omnium definiti actionum termini. Non etiam ex vnione formarum elementarium. Tum quòd illæ sint actu. Ex pluribus autem actu, non fit vnum simplex, sed compositum: sicque forma esset composita, generaretur in tempore & per partes, non in instanti. Tum quod natura generet ex actu & potentia, esset mixtio simplex non generatio. Et per consequens

Cœlestis non elementaris demonstratur

Quia substantia non accidens.

Quia simplex non compositas

non omninò, forma est ab elementis, sed à cœlis, quos inutiles non esse, æquum est æstimare. Deinde, inferiora omnia, materia constant & forma. Nunquam autem, formæ aptabitur materia, nisi sit proxima, nisi determinata velutique indiuiduata ad hoc vel illud. Nisi symbolum habeat ad formam. Neque enim ex quolibet ligno fit mercurius. Materia autem fit proxima, multiplici præparatione. Præparatur non per formam, quæ nondum est. Non per materiam quæ non agit in seipsam, quæ est pura potentia, sed ab externo principio. A natura illa vniuersali, quæ externa quidem est materiæ in quam agit, sed fit interna absoluto opere & formam inducendo. Ergo in re constituta manet aliquod quintum, quod conseruet opus, & sine quo ruat pereatque.

Quia dum fit actio aliquid intelligendum est.

Quod moueat agentia & patientia.

Sicque materiam præpararet.

Nihil enim agit in seipsum.

Non agit quod nondum est.

LIBAVII FIGMENTA de quinta essentia.

CAP. XIIII.



HYMICI *probabiliùs loquentes non dicunt essentiam purum cœlum esse, sed corpus analogicum, vt pote mixtum & corruptibile, sed elementis puriùs nobiliusque* Resp. Dictum est supra desiderari chymicos quos fingit ad placitum loquentes, veri enim & probati aduersantur. Censemus, inquit Bonus, hunc lapidem esse perpetuum super ignem, non solùm propter adæquationem quatuor elementorum, sed & propter coniunctionem quinti elementi. Sicut mundus maior ex quatuor elementis

Pag. 99. Triumph. malè Libauio corruptibilis & mixta dicitur.

Diuina & cœlestis & quinta docetur ex Bono Ferrariensi.

corruptibilibus & vno incorruptibili est quod dicitur quintum, sic & ars diuina virtute, quatuor elementa lapidis corruptibilia nexu & modo vnius incorruptibilis, quod quinta essentia dicitur in hoc mundo, indissolubiliter copulauit. vnde Auicennas, hoc est vnum quinque elementorum. Deinde si non est à cœlo hoc corpus, si nobilius tamen elementis, vnde, erit quæso? erit-ne aliquod tertium? Quod si mixtum, dic ex quibus? si corruptibile, dic in quæ abeat corruptione? Et dic etiam illorum mixtilium originem? dic naturam? eodem enim redeundum erit. Quibus sic satisfecit pag. 268. Triumph. *Materiale cœli corpus adduci in aliquid præstantius, quod quintum est & essentiale.* vocat fæcem cœli, seu partem crassiorem, elementis cognatam, in quam agat virtus cœli. Ecce verò Paracelsi commenta: tantum profecit discipulus. Quasi cœlum aluum deponat crassum stercus, ex quo eliciatur quinta essẽtia Libauij. Hactenus enim audierã cœlum, esse corpus similare & ὁμογενὲς pars crassior non minus est cœlestis, quàm subtilior. Ex parte formali & materiali, tanquam essentialibus cœlum constat, ambabus coniunctis actio tribuitur: actio enim est suppositi, Si forma cœli agit in materiam, nonne idem aget in seipsum? cuius nutu forma incitabitur? quo subiecto sustinebitur in agendo? sic tandem cœlum erit hoc nostrum, longè præstantius veteri: in dies enim agendo, hanc materiam perficiet.

Malè Libauius fingit fæcem cœli pro illa.

Cœli nulla est fæx.

Cœlum non ageret in illam fæcem.

Non est portio materialis cœli.

Quasi verò in toto essentiali actio tribuatur formæ, aut materiæ separatæ, non toti, non ambobus coniunctis? quando canis currit, non currit anima, non forma, non materia canis, imò non corpus, sed totus canis. Atque hæc vt reijciatur materialis portio pro essentia. Sed instabit, fæcem cœli intelligere, non propriam cœli materiam, sed aliquid extra proprium cœli corpus. Dum cœlum agit, hanc fæcem depurat, depurata verò fit portio essentialis sublunarium. Ergo cœlum suo Vulcano chymicè laborat, peritus est operator, sed vasa desunt accommodata, nisi adfuisset Libauij cranium, in quo tanquam in capitello fiat operatio: ita enim medici caput nominant in destillationibus morbosis. Pudet persequi tot nugamenta, quæ otiosum commentatorem decent. Sic licet solis desertoribus delirare. Plura qui volet & magis ridicula bonas horas perdat in Libauij scriptis legendis. Alibi naturam essentiæ repetit ab ipsis rebus. materiam esse totum compositum, formam verò agendo & laborando induci. Exempli gratia, rhabarbarum elaboratum & depuratum, aliquid deponit seipso integro puriùs, quod eminēter & virtute omnes totius rhabarbari vires complectatur: ita enim plurimi interpretantur: quomodo essentia erit artificialis, tota pendebit ab operatore. Quod si velit Libauius, per cœlum agens siue purificans, menstruum aliquod nobile intelligere, cuius virtute talis

Vas requireretur.

Non est artificialis extracta à toto.

Vt quinta qualitas Auicennæ pro temperamento.

Confutauit hoc Fernelius.

ſubſtantia producatur, qui ſibi ipſi ſatis-faciet, aſſerenti alijs in locis eſſentiam illam à Deo creatam fuiſſe & rebus ipſis inditam? Hæc opinio euertitur rationibus Fernelij, quibus temperamentum Auicennæ exploſit. Duo enim hæc figmenta plurimùm inter ſe conueniunt. Alia ſunt multa & admodum varia, quibus vt in cæteris, ſic in quinta eſſentia varius & inconſtans eſt.

VNIVERSALE, EIVSQVE FAcultates rationibus comprobatæ.

Cap. XV.



Ineralia foris & intus ſalutaria iam pridem experti ſunt veteres. Hoc tanquam receptum & confeſſum recipimus. vniuerſale è mineralium familia criundum hac conditione non reijcietur. Imò mineralia, vires habent omninò maiores & conſtantiores. Docendum artem experta primas tenere, inter medicamenta. Etiam naturæ documentis aſcendere in alimentorum claſſem. Omitto naturæ placitum, quæ mineralibus alit vegetantia, vegetantibus animalia, his ipſis nos ipſos mediatè immediatè.

Vniuerſale cùm ſit ex mineralibus.

Vires habet maiores medicamentoſas

Alimentoſas.

Sic tempeſtiuis ex imbribus humida tellus,
Vertit ſe primùm in frondes, & pabula læta
In pecudes, vertunt pecudes in corpora noſtra
Naturam.

Mineralia fortiora laborem ſuſtinent.

Perfectiorē. Nutritio non in totum mutat. Tales sumus qualia assumuntur. Ignobilia nobiliorum *Longiorem.* clementi hospitio excepta beantur, feritatem & cacoëthiam deponunt, & salutari permutant. Præferuntur autem quæ similiora *Vt possint exactius permisceri augeri* & durabiliora. Talia sunt quæ vitæ principia habent cum his conditionibus, calorem, spiritum, copiosum, vegetum, lucentem in humido radicali, seminali aut analogo, puro, *Multiplicari viribus & quantitate.* tenaci, constanti, exactè permixto, multiplici coctione, iterata circulatione depurato, *Humor eorū constantior.* quinta & diuina essentia multoties animato, viribus multiplicato, à spiritibus potentissimis, è triplici regiarum fonte prorumpentibus. *Arte perficitur.* Talis quæ reponitur substantia in locum vacuatæ, durabilior, constantior, & viuacior *Coquitur.* erit. Talis amica naturæ, naturam roborat *Miscetur.* eximiè, sicque secundariò morbos extermi- *Animatur spiritu.* nat. Sic corpus æquabili succorum consisten- *Vegetali animali.* tia donatur: Humores nimiùm fugaces & labiles, tam citò dissipabiles sistuntur, velu- *sanguinem efficit talem* tique glutinoso vinculo retinentur: Humores hydropicorum serosi sic solidescunt: sic *Solidorem.* vigor languenti iecori restituitur, sic Ele- *Lucidiorem.* *Vegetiorem.* phanticorum iecur putrefactum redintegratur: corrupti succi restituuntur, calor natiuus marcescens restauratur, intermortua altrix fereque deuicta, nouis & audacioribus copijs recreatur. Sed & proprio fulgore niger & obscœnus sanguis, rutilat, & amabili luce splendescit. Quæ lucent magis, cæteris præstant: hoc in elementis est, hoc in cœlis,

Aſtra ignibus fulgidis micantia, vt partes orbium ſplendidiores, ſic actuoſiores. Theologis Angeli, potentiſſimi ſpiritus, ex luce ſunt. Ariſtoteli intellectus eſt τὸ φῶς Platoni oculus eſt igneæ naturæ, vt cœlum, intelligit ignem lucentem non vrentem. Rerum omnium baſis & fundamentum lucet; ſemina humore oleoſo, pingui, lucido diffluunt. Omnia calcinatione in cryſtallum lucidum abeunt. Sunt qui cryſtallinam mundi faciem aſſerant, vbi igne calcinante, opificium diruetur in iudiciali conflagratione. Eſt cœlum cryſtallinum, quo ſignificant aquas in mundi geneſi memoratas. Inter partus terræ, aurum, argentum, gemmæ omnes, vt luce ſic præſtantia excellunt. Hinc humanus animus τὸ φῶς earum quaſi conformi, ideſt lucida ſubſtantia recreatur. Hinc tantum gemmarum prætium. Hinc tacita animorum cum luminoſis neceſſitudo, & amabilis delectatio. Lætantur animi cœleſtes, lucido domicilio, auerſantur tenebras & obſcura omnia. Cur dæmones lætantur melancholicorum hoſpitio? niſi quod enumeratæ conditiones reliquis ſuccis veniunt ab humore melancholico? Vnde animus ſagacior ſapientior melancholicis. Nullum vidit Ariſtoteles ingenio præſtantem qui non melancholicus fuerit. Addo naturam prædicti ſucci fixam eſſe, minus patet illa mutationibus. Eſſentiæ quæ ſunt fixæ & immutabiles, ſunt incorruptibiles. Iſta fixitas retinet latentem eſſentiam,

Luminoſa cœtus ceteris ſunt vt Elementa.

Cœli.

Aſtra.

Semina rerũ.

Gemmæ.

Animi luce Lætantur.

Gaudent melancholicorũ conſortio.

Propter humorem lucidũ talem

Vnde & ſagacitas melancholicis.

Quia ſpiritus animæ inſtrumentũ.

impeditque tam citum defluiuum. Nec hinc soli corpori, sed & animo vigor, robur, sanitas. Scitur animum, instrumentorum conditionibus iuuari plurimùm aut cohiberi. Causa cur homines excellant hominibus, artifices artificibus in instrumenta reijcitur. Animus peræque disciplinarum capax. alius tamen alio citiùs & perfectiùs excolitur. Vitiatis sensorijs functiones culpantur. Animus est vbique potens, & vbique totus, in toto & in qualibet parte. Si oculus esset in digito videret digitus. Si seni esset oculus iuuenis videret vt iuuenis: Febricitante, quibus lingua bile perfusa, iudicant amara omnia. Quibus auriginosi oculi, flaua videntur omnia. Thersiti, erat acuminatum caput. Cur μετεμψύχωσις Pythagoræ impossibilis, Cur Sagarum vana sunt philtra demutatoria? Quia si animus de corpore intemperato decedit in morbis exitialibus, si non potest agere sine proportionato instrumento, si non potuit philosophari in Thersitis capite, quomodo anima culicis reget elephantem? quomodo humanus animus ratiocinabitur in capite asini Apuleij, muscæ porci? Lætatur animus omninoque adiuuatur instrumento conformi. Conforme erit & simile quod animi conditiones habebit maiores. Actio maior est fœlicior inter symbolica. Animus est formalis immateriatus. Instrumentum eius proximum est spiritus. Ergo tenuior mobilior, similior erit animo. At tales euadunt spiritus,

Animo similiores inde fiunt.

Agit omnia pro instrumẽtis.

Nihil corporeum potest sine corpore.

Bene disposito.

In disproportionato nihil.

Vnde nulla est metempsychosis.

prædicto ſucco ſociati & nutriti. Sic clariores tenuiores, defæcatiores, & lucidiores fiunt. Vnde animus tam obſequioſo ſatellitio fretus, vehementer indagat, multùm meditatur, comprehendit, nec laſſatur aliud ex alio quæritans.

Hæc ergo diuina & cœleſtis ſubſtantia, hoc magnum elixir philoſophorum, hoc ſapientum magiſterium, multa & maxima poteſt. Temperamenti ſynceritate calorem noſtrum fouet, ſubſtantiæ denſitate, tenacicitate, permixtione abſoluta, humidum radicale conſtantius, copioſius, minùs diſſipabile reddit. Hinc vitæ diuturnitas, ſanitatis tutela, & morborum fuga. Longior vita eſt, à calore plurimo, humore copioſo, tenaci. Sanitas & alacritas ab eodem puro, lucido. Morbi expugnantur naturæ robore aucto, ſpirituoſa & eſſentiali ſubſtantia. Sic partes principes, mirum in modum roborantur vi adſtringente & roborante. Sanguis purus, vegetus, rutilus euadit, à quo talis ſubſtantia per nutritionem. Hic liquor diuinus tot facultatibus grauidus ab effectu cœlum nominatur. Vt cœlum cauſa eſt vniuerſalis, tamque multa & varia poteſt, ſic in corpore humano, imò in cæteris omnibus, morbos ex diametro contrarios demolitur. Scilicet agens omne agit pro ſymbolo & conuenientia cum primo actiuo. Adeo conuenit cœlo hic liquor, vt non ſolum cœleſtis, ſed & cœlum ipſum dicatur. Conuenit ergo & con-

Nullæ ſagarum artes. Spiritus autem depurantur hoc præſidio.

Humorem perficit.

Calorem fouet. Animat.

Principes partes roborat.

Naturam & vires multiplicat.

Hic contraria facit.

Vt cœlum.

cordat vt viribus, sic & operibus.

AN ALIMENTVM viuentium dulce.

CAP. XVI.

Si sale constamus, & nutrimur.



VONIAM supra diximus Chymicum artificium naturale esse, eiusque opera naturalibus affinia, hæc quæstio explicationem interponit opportunè. Nam si alimentum dulce, non erit salsum, non acre, quod contendit Paracelsia Libauij in generatione & nutritione. Paracelsi mancipia, paucis à difficili quæstione sese expediunt. Negant saporem, acidum, acrem, salsum in sale naturæ esse, in constituente & nutriente principio. Sale intelligunt quod manet, quod firmat & roborat, quod humido soluitur, sicco congelatur: tale promiscuè hospitari cum sapore quouis, salso, amaro, acido, dulci: vnde saccharum sal est, E plumbo est saccharum, siue sal dulce. Supra diximus hæc omnia esse vnius principij, non potiùs sali quàm sulphuri, quàm mercurio conuenire. Cautiores itaque vt recentiores, inter quos Libauius pertinaciter salsedinem defendunt, in alimento, in sanguine, in principio, in semine. Exempla producunt in testimonium. Plantas esse salsas, amaras, acres, proinde & salsis ali. At quæ nos alunt, ipsa nos fecerunt, ergo & ex salsis sumus. Lupinos serunt agricolæ, vt quicquid amarum inest fugatur, pro nutritione Lupini. Solum restet dulce triti-

Erit salsum aliquod alimentum, aliquis sanguis salsus.

Sed dulcis est omnis.

Non obsunt, quæ salsa.

Salsis nutrita.

Dulcedo non est in gratia. In familiaritate.

co. Ergo & ſalſum & amarum eſt, non dulce tantùm, viuentium alimentum. Addunt priores, dulce alimẽtum non ſapore, ſed gratia & familiaritate æſtimandum, cum qua liceat ſapores omnes coniunctos obſeruare. Appetitus animalium duplex, animalis in ore & œſophago: cuius eſt diſcernere ſalutaria à peſtiferis: ſapores gratos ab ingratis, quod animæ opus eſt. Naturalis alter ſingulis partibus inſitus, ſine conſilio, ſine ratione, quod adeſt pellicit, etiam illaudatum melioris inopia, non poteſt dulce ab amaro diſtinguere, amat quod alibile quod tranſmutabile. familiaritas eſt in tribus principijs, quæ aliquando dulcia, amara ſalſa, pro ſubſtantiæ conditionibus, próque alimenti mixtione. Nam ſi ſapores ſunt ab alimẽtis ita permixtis, ſi dulcedo eſt ex tali mixtilium proportione, eſt-ne alimentorum omnium vnus mixtionis modus, vna temperies, vna qualitatum principũ, cum ſecundis, formaliũ cum materialibus proportio ad dulcedinẽ neceſſaria? Abſit cum tam multa alimoniã nobis ſuggerant, calida, frigida, ſalſa, amara, acria, dulcia. Deinde corpus noſtrũ conſtat quatuor humoribus qualitate & ſapore contrarijs. Ex his alimentũ eſt mox nutriturũ; ex his ſemen, menſtruũ, pulmo nutritur bilioſo ſanguine: amaro, acri, cyſtis felle, lien, melancholico ſucco, accido. Hippocr. vetat ſanos purgare, quod cathartica violenter de ſano corpore analogos humores, iam impactos reuellant, puta rheum bilem amaram. Ergo bilis amara in partis ſubſtantiam faceſſerat.

Sed in ſapore tali.

Quoquomodo feratur aut trahatur alimẽtum.

Non obſtat alimenti remoti varietæ.

Variamixtio & ſapor varietas.

Non dulcedinis vna, & ſimilis mixtio in omnibus, & in omni alimento.

Nã ignis naturæ iſtas tollit exuperantias.

Ergo aut falſum eſt nos ali dulcibus, non ſalſis; aut dulcedo intelligitur de ſymbolo, de familiaritate, vt ſit alimentum dulce, quod gratum, quod iucundum. Plantæ innumeræ nutriuntur amaro, & ſalſo: Venenatæ plantæ aluntur ſibi ſalutari, nobis peſtifero, quod etiam dulce, nos enecaret.

Non ſunt de ratione alimenti.

Sed tamen id omne naturæ infenſum eſt, quod à mediocritate receſſit. Omnem exceſſum natura reſpuit aut tollit. Dulcedo à mediocritate,à proportione æquabili,à commoderatione: licet enim paulò ad caliditatem inclinet, id tamen naturæ placet, quia calidum naturæ amicum. Omnes naturæ functiones calore obeuntur: primus effectus prima qualitas, eſt calor. Omne viuens eſt calidum. Eſt naturæ ignis, qui ſapores infenſos dulcedine permutat: Coctione dulceſcunt amara, ſalſa, acria. Coctio à calore, non quouis, ſed natiuo. ſalſa, amara, igneo non dulceſcunt, imò verò intenduntur omnia; naturæ ignis mitificat omnia. Cur quæ manum vrunt, ore continentur innoxiè, niſi quod regnet in ore dictus calor? Ipſe ignis arte adhibitus, ingratos medicamentorum ſapores tollit? quantò magis à natura ipſa gubernatus dum circa alimentum negotiatur? At arte id fieri & ſapientes literis mandarunt, & certo experimento comprobatum eſt. Amaritudo, ſalſedo, acrimonia, naturæ defecerunt mediocritatem. Nimium acria ſimulata ſi deuorentur interficiunt. Salſum, ſi

Dulcedo naturæ placet, quia ſymmetros & grata, ratione caloris.

Calor igneus ſapores intendit, natiuus tollit.

Arte gubernatus medicamenta corrigit, inſipida reddit aut dulcia.

Ergo ſalſum naturæ aduerſum.

placet naturæ ipſa ſalſedine, gratius erit, quod ſalſius. In principijs magna & ſumma ſunt omnia: quo quid ſalſius, eo melius erit alimentum. Quod tamen eſſe alienum ipſa conuincit veritas. Sanguis ſanorum, omninò dulcis eſt, non ſalſus, non acris, non amarus. Hæ conditiones ſunt in morboſo, non in ſano. Tãtum abeſt vt ſint naturæ principia. Imò ex alimentis ſalſis, acribus, generatur ſanguis dulcis. Multiplici coctione bilis atra, & flaua, ſecernuntur à dulci ſanguine: quod ſalſum eſt, cum vrina diebus ſingulis expurgatur. Non prius alunt ſalſa, amara, quàm iſtos exceſſus depoſuerint.

Quodſi principium eſt omnia habere ſumma debet.

At tantum abeſt, cum natura ſuis laboribus tollat. Salſedinem.

Amaritudinem.

Solent reſpondere, has rationes valere contra vnicum ſalem & immixtum alijs duobus, à quibus temperatur: dulcedinem eſſe ex illis tribus, ſic permixtis. Audio quendam iurare mellis dulcedinem à ſalſo & amaro oriundam: addunt eaſdem rationes valere contra elementa ſeorſim conſiderata. At enim agitur de alimento in quo tria illa ſunt, ita tamen vt alicuius conditiones dominentur, vbi ſalſum, amarum, acre. Iam quæritur poſt triplicem coctionem quo abeunt iſti exceſſus, quibus nocebant, ſal, acetum & ſimilia? Nam alimenta puta edulia erant talia ideſt ſalſa. Quò inquàm, ſi ſal manet in ſanguine dulci? ſalſedo enim à ſalſo eſt inſeparabilis quatenus tali. Poteſt-ne tolli manente ſubiecto? Illud tamen expurgari docet vrina. Si inquam ſal amicum, cur vrina ſalſa,

depellit ad veſicam vrinam ſalſam.

Ad cyſtim bilem amaram.

Ad lienem atrum ſuccum accidum.

Vt ſuperſit dulcedo amica grata.

cur bilis amara? Deinde ſapor eſt affectus mixti, non ſimplicis & ſimilaris corporis vt elementi, proinde ſuperiora non valent contra elemēta. Piſces in alto mari degentes ſunt fluuiatilibus inſulſiores: animalia quæ ſalſis nutriuntur, ſanguinem habent dulcem nunquam ſalſum. Plantarum quidem ſuccus, animalium ſanguini reſpondens, ſæpe ſalſus, acris, amarus: quod non inſit valida ſecretrix, quæ foris excernat inutilia nutririonis excrementa, vt in ſanguine præditis. Quod autem affertur de lupinis amaris, de plantis ſalſis quę nutriuntur ſimilibus, contrarium omninò probat. Nam ſi alimentum omne, diſſimile eſt antequam nutriat, aut lupinus non proliciet amarum, planta non ſalſum, aut aſſimilatione deſinet eſſe tale: tunc tranſmutatur, & in nutriendi naturam vertitur. Dulcia edulia, tantùm abeſt vt talia maneant aſſumpta, quin potiùs bileſcunt. Lac ipſum matris in puero, mutatur antequam aſſimiletur. Non eſt nutritio ſine illa tranſmutatione, in qua vetera omnia pereunt. fit mutatio huius totius in hoc totum. malè ergo parachymici tria illa in nobis requirunt, Nóſque ex illis condunt. Verè Ariſtoteles & Galenus, verè Dogmatici pronunciarunt nos nutriri dulcibus, eſſéque alimentum viuentium omnium dulce, non ſalſum, non amarum.

Piſces marini ſunt inſulſiores.

Id non percipitur in plantis, quod deſit Valens excretrix quæ expellat iſta aliena.

Denique cum alimentum aſſimiletur ſi. Edulia ſunt amara. Debent aut deponere aut aſſumere.

Sicque non concludit, lupini ſalſedo amarorum argumentum.

QVID CHIMIA PHARmaciæ conferat.

CAP. XVII.



HARMACIA vulgaris tota eſt in medicamenti electione & præparatione. Vtramque laudat pharmacochymia, ſed præparationem & correctionem vt admittit, ſic ſæpè accuſat impotentiæ, imperfectionis: cùm probat triturationem, coctionem, lotionem, infuſionem, hic nunquam conquieſcit, nunquam in his τέλος ἔχει. ſed vlterius progreditur, donec quicquid præſenti neceſſitati inutile ſuſtulerit, malignam facultatem ſalutari permutauerit. Ratum habet in omni naturæ fœtu, nihil eſſe vſquequaque beatum: Omnia conſtant ſubſtantijs diuerſis, inquit Galenus, ſæpéque contrarijs. Dum viuebat totum integrum, partes integrantes & eſſentiales, vna vegetante regebantur, in commune officium conſpirabant ſingula: vbi emigrauit vegetans manent diuerſa ſui iuris. Poteſt rhabarbarum adſtringere, aluum & vrinam mouere, non poterat dum viuebat. Dum purgare eſt animus, inutilis eſt adſtringens. Dum aluum ſiſtere, nocet purgans. Hic torretur, exhalatur ſpiritus purgatorius, vt ſuperſit terreſtris portio. Illic infunditur vt magma terreſtre abijciatur. ita in cæteris contrarietatibus. Hic & illic Chymia diligentior. exaltat & ſublimat, magis propriam & neceſſariam ſubſtantiam, viribus multiplicat, ſaporem ingratum ſumul cum cacoëthia tollit

Pharmacia præcedit chymiam.

Chymia exornat & ditat Pharmaciam

Diligentius laborat.

Pharmaciæ concluſiones ſunt initia Chymiæ.

Diuerſa tollit & ſecernit.

Secreta agunt ſpecialiter.

Seruat vires in laborando.

vt restet medicamentum, naturæ amicum, tutum & facilè, genuináque virtute præditum. Dum nutritur φυτὸν manent nec excluduntur reliquiæ nutritionis, toto corpore diffluant, assimilatur familiare, relinquitur inutile excrementosum. Vnde reiectanea sunt infusionum magmata, sed & maximè sapores ingrati, & malignæ qualitates. talia genuinæ facultati ob sunt, & nostræ naturæ aduersantur. Ob id integra cum integris composita non ita laudantur. vtrumque enim hoc vitio laborat: vt bonum est compositione multiplex, sic & malum.

Beneficio ignis naturæ.

In metallis maior chymiæ necessitas.

Correctoria vim sæpe contrariam occultant in profundo, nec explicant nisi accurratius elaborentur. Hac causa damnata sunt metallica, quod vires non essent in explorato, in aperto. Non respondit euentus, miscentis & componentis medici intentioni, infracto manente minerali. Vegetantia minori negotio possunt, licet nec omnia nec semper. multas enim ignis gehennas, & primos artis labores respuunt: cuiusque sui sunt labores, alia alijs delectantur, alios contemnunt, alijs depereunt: alia solam infusionem, nullam coctionem sustinent, aliâ & coctionem & ipsam calcinationem superant, nisi comes veniat putrefactio. Sed inuentio mirabilis ignis philosophici chymica est, qui absoluit & perficit omnia, etiam integra & quacunque ratione composita. Defectus omnes supplet, redundantias tollit, quo saltem

Vulgò non rectè, nec ritè parantur.

Vegetalia certos amant labores.

Chymia his & illis luxuriat.

tem vno, si nullo alio Chymia vulgarem pharmaciam superat. Adde & mineralia ita demùm præparare, vt eorum præsto sint vires, & in compositis adhibita non sint sine viribus. Sic aurum addetur non foliatum, non puluerisatum, sed liquore conuenienti solutum, sic vitriolum non integrum sed arte illa in dulcedinem adductum, vt tuto & citò possit exhiberi foris intus. Non minora cæteris omnibus veniunt auxilia. *Hoc & illo modo præparatis.*

DE SVBIECTO FACVLtatis purgantis.

CAP. XVIII.



VRGANDI proprietatem temperiei sobolem multi cõtendunt. Alij spirituosam substantiam volunt. Interest autem plurimùm scire quæ sententia sit verior. Non solùm ad benè medendum sed magis ad debitè præparandum medicamentum. Si qualitas, non poterit ignis sustinere conatus, non poterit separari, fortior erit, & tutior in integris, nulla in separatis. Nam temperamentum multorum est, & contrariorum, vnitorum est & coniunctorum, non manet, sed perit in separatis elementis. Elementa vini sunt ignis ardens, siue aër ignescens, aqua phlegmatica, & sal tartarinus siue terrestris portio. Vinum integrum his vnitis constans, temperamenti

Vis purgandi similis est.

Alimentis, magneti, odoratis, contagijs.

Agunt omnia similiter.

Intereſt ſcire quid ſubſit. proprietate moderatè calefacit, non poteſt ignefcere non inflammari: at in aëre ſeparato ineſt ignis quaſi in actu, nulla inibi temperies, ſed pura & ſimplex ferè qualitas,qualis in igne quæritur. ſic moderatus calor, ex omnium permixtione oriundus, in eorumdem ſeparatione perit: quodlibet ſeparatum, ſumma habet ſua: ſic vinum ardens, ſic phlegma frigidiſſimum quod creditur hydropem inducere, ſuo frigore natiuum calorem conficiens. An ſennæ puluis fortiùs purgat infuſo? an chymicè elaborata, purgant ſolum irritando, non illa temperamenti natiui benignitate,ſuccum familiarem amicè ſeligendó, ſelectum euacuando? acres enim ſunt ſales chymici, & quæ ignem experta ſunt quandam agentis retinent impreſſionem. Omne agens ſibi aſſimilat patiens quantum poteſt.

Ad benè medendum & ad bene præparanda medicamenta.

Qualitas probatur ex magnete. Quod ſi contra: ſpiritus ſit purgandi potens, ſolutus à corpore, id meliùs & puriùs præſtabit & efficacius: vnde laboris chymici ſumma neceſſitas. Horum & illorum momẽta propoſito priùs quæſtionis ſtatu, paucis perſtringamus. Quæ de contagijs, de odoribus, quæri ſolent, huius ſunt loci. Monuit ſæpe Galenus medicamenta eadem facultate humores trahere qua magnes ferrum; ſuccinum paleas, ſimilitudine eadem qua alimenta mutantur in noſtram ſubſtantiam à partibus pellecta. Omne agens agit eo fine vt fruatur tracto: vbi magnes ferrum traxit, quieſcit, eóque cupito fruitur, ſic alimentum à

Ex ſtibio.

Calore igneo.

Odoribus.

Contagijs.

parte: sic ferrum à magnete: sic humor à medicamento, præsertim remoto impedimento. Calor noster agendo, quicquid est peregrinum separat, vt sit aperta & euidens similitudo. Magnes, succinum, asperiore affrictu ad trahendum promptiora fiunt, sollicitata & excitata facultate. Hoc ipsum est à contagijs odoribus &, perdiu delitescunt & otiantur, nisi accedat impulsor, qui agitet quietos odores, vapores.

affectibus animi.

Qualitatem non substantiam esse, ex eo imprimis constat, quod magnes electrum, odorata, contagia, perdiu agant illæsa & inculpata. scitur tamen physicas substantias vt spiritus, esse finitas, detractione imminui tandem & annichilari. magnes solo contactu acus innumeras sua proprietate perfundit, qua & ferrum trahant & polum adspiciant. nec potest qualitas recepta aliam similem producere. posset autem si à spiritu, si à substantiali facultate vbique potente. tot absurda declinantur admissa qualitate pura, sine vlla substantia. Ignis calorem aquæ communicat, oleo, ferro, qui vt ignis ipse deurit, sine spiritu igneo: odor receptus, vicina loca simili beat fragrantia. contagium ad distans, ab vno in aliud transuolat, tantùm potest mediatè, quantùm immediatè. Ipsa similitudo temperamenti amicitiam conciliat, affectum inter corpus & alimentum quasi vt in ratione præditis. At affectus animi, virtutes, vitia, qualitates esse non substantias pridem contra

A duratione eorum.

Ab agendi natura.

Catharticorum.

Temperamẽtorum.

Odoratorum.

Contagionum

Stoicos fuit demonstratum. Sit ergo vis purgatrix pura qualitas, separata ab omni corpore, sed quouis alio recepta, verè agat. Sit inquam temperamenti soboles, quæ non aliter communicatur sanguini in nobis, & liquori cuilibet extra nos quam igneus calor aquæ superpositæ, ferro vicino, & similibus.

Substantia docetur ab imminuto pondere. Alia opinio sic prioris momenta prosternit: verum est inquit finitum omne detractione aboleri, sed cathartica, odorata, imminuuntur. Si aliquoties sennam infuderis aut incoxeris, magma restitans orbatur facultate purgandi, imminuitur & mole & pondere. *Cathartici infusi cocti.* Rosæ in aëre libero fragrantiam relinquunt. Magnes, quia substantia duriore est perdiu perstat efficax, pauca enim fit ἀπόῤῥοια si desit ferrum. Sic folia, fructus, radices, purgantes sua habent durationis tempora, si desit liquor. Vitrum antimonij inexhaustam *Ab odore.* ferè ostendit vim purgantem: ita de mercurio. Sed quid mirùm cum sint spiritus? Im- *Magnete.* perceptibilis ferè est diminutio, eadem de causa: cum tamen tandem detrimentum percipiatur manifestum, quin etiam illa omnia vetustate languent. Sunt quidem in multis rebus virtutes ferè inexhaustæ, nullibi tamen infinitæ. Quæ qualitates puræ alienis subie- *Duratione.* ctis communicantur, breui pereunt, vt calor igneus aquæ, ferro, & alijs: cum tamen virtus purgans perdiu duret in liquore excipiente, nisi ad eius corruptionem depereat aut exoluatur. Quod de odoratis, de magnetina

virtute, iddem cum proprio corpore faciente affertur, fidem addit substantiæ conciliatæ, detrahit qualitati. Nam si qualitas, & exolescat quomodo generabit simile? adde generationem esse substantiæ, non qualitatis: communicatur non generatur qualitas, generatur non communicatur substantialis proprietas. De odoratis eadem fides. Nam si nostri spiritus odoratis nutriuntur, certum est illinc defluere aliquid spirituale, vt similitudo sit nutriti cum nutriente. Quod additur de amore, de affectu, de similitudine, de symbolo, maiora erunt omnia, si non sola qualitas, sed substantia adiuncta sit. Non possunt migrare qualitates essentiales, de subiecto in subiectum. Genuina qualitas nunquam proprium subiectum deserit, perit in alieno, seruatur in solo germano. Imò verò non est separabilis. Ergo non sola qualitas cathartici communicatur liquori infusionis, sed inserta est & firmata in peculiari substantia, quæ purgationis & omnis operationis socia est. Contagionum seminaria spirituosa esse demonstrauit Fracastorius, quia generant similem perniciem. Mesueus magister explosit temperamentum, & cum eo sapientiores Græci, Arabes, Latini. Ergo purgandi facultas non est à qualitate elementari, non à temperamento, sed à cœlesti & diuina essentia, quæ in domestico hospitatur subiecto, vt ante declaratum est.

Contagionis natura.

Nutritione per odorata.

Seminario contagionis similis productiuo.

Cœlesti facultate Mesuæi & cæterorum

AN BENIGNA MEDICAMENTA *vehementiorum sint loco, si benignis vtendum semper, etiam in magnis morbis.*

CAP. XVIIII.

Chirurgicum opus mutatur pro necessitate.



VXILII genus omne, aut manu aut medicamento perficitur. manus munus, à consilio & ratione est. augetur, minuitur, citatur, tardatur ad arbitrium. Ferrum, ignis, foris, intus ad mouentur, sanguis, pus, vrina, aqua plus minus euacuatur. opus χειρουργήμα ex benigno in vehemens, ex miti in crudele, ex paruo in magnum, mutat mali conditio. Qui morbi non cedunt medicamentis, ferro attingendi sunt, qui ferrum respuunt, igne sanantur, qui & ignem superant prognosi relinquuntur immedicabiles. Sic diuinus senex quæstionem resoluit, non semper medicamento morborum rebellium curam cogit. inefficax medicamentum blandum ratus, ad fortiora confugit: extrema extremis adhibet. Quod si ita est in chirurgicis quæ ratione & consilio ducuntur, quantò magis in medicamento quod sola natura regitur: quod constitutos habet actionum terminos,

Quidni & medicamentum?

Cum sola natura ducatur in agendo.

gradus definitos, quos non poteſt tranſcendere?

Non pauci tamen ſuadent contrarium. Euacuatio fit non tantùm trahente medicamento, ſed multò magis expellente natura. Fuga vacui ſuperus humor ad inferi locum deſcendit: facultas onerata, ſtimulatur, iuuatque opus excernendo: ſic ſanguis natura grauis, aſcendit ſurſum: ſic clyſter ſola exonerans inteſtina, conſecutione tamen & ipſum caput, & ipſum habitum exonerat: Natura ad locum vacuati deponit quod noxium. Sic medicamentum regionis primæ, ſecundam quin & tertiam quoque expurgat. Vomitus ſolum ventriculum primò & per ſe euacuat, perſeuerans & vicina hypochondria, quin & corpus vniuerſum leuat. Optabilis verò curatio, quæ non ſolum fautricem, ſed ducem habeat naturam, quæ fiat paulatim. Nimium omne natura odit. Exagitatoria medicamenta corpus inflammant, colliquant carnes, noxios humores quos natura vtiliter ſeparauerat, frugi permiſcent, & confundunt. Gutta cauat lapidem non vi, ſed ſæpe cadendo. Lima in pollinem comminuit metallum, aſſidua confricatione. Cur ergo benignum medicamentum, forti non ſubſtituetur vtiliter? Quod non vna vice, ſed iteratis pluribus id præſtet quod ex

Vnum ſimilare non poteſt contraria vt quod ratione regitur.

Non obſtat fuga vacui.

Non conſecutio.

Non cacoëthia cathartici.

Nam & ipſe ignis adhibetur ſæpe.

forti ſperabatur? ſcilicet tutiora ſunt medicamenta quæ naturam ſociam habent non aduerſam. Quæ ventriculo, cordi, viſceribus haud obſunt. quæ omnes ſunt clementiorum dotes, validioribus omnibus denegatæ.

In fiente morbo talia valent.

Diſſidium ſic componitur. Morbi fientes, nondum firmati, qui ferè ex cauſis pendent, etiam in habitu, in tertia regione demoliri poſſunt blando medicamento, quantum ſatis repetito. Quinetiam natura ſpontinis vacuationibus ſola ſæpe ſanat.

Non in factis

At morbi facti, conſtantes, ſtabiles, etiam in prima regione, medicamenti benigni conatum adſpernuntur vel decies repetiti.

Medicamentum agit pro viribus.

Aloë ſolas primæ coctionis reliquias deturbat. Nunquam humorem affixum erradicabit. Cauſæ naturales vno ſemper modo agunt.

Sint vires in tertio gradu.

Habent actionum definitos terminos & virium gradus. Omnia facta ſunt in numero pondere & menſura.

Cinamomum non poteſt vrere, ita eſt de purgantibus.

Non eſt artificis rerum naturam ad maiora cogere. Poteſt-ne cinamomum etiam centies iteratum eſcharam inducere, veſicas excitare? vrere vt ignis? At cathartica ſubſtantiali facultate humores proliciunt, Non vndecunque omnes, ſed certos ex certis.

Phlegmagogum non eſt cholagogum.

Quæ primæ regioni dicata ſunt, nunquam vim ſuam ad tertiam promouebunt.

Multò minus benignum vehemens.

Sine ordine & confuſe faciet, qui alia pro alijs vſurpabit. Irrita & infauſta illi erunt omnia. Quæ ſecundam regionem eluunt, indeque bilem vtramque, craſſamque & affixam pituitam detra-

hunt, nequaquam ſerum exundans in capite, in habitu euacuabunt. Hydragoga ſunt quæ naturaliter id poſſunt. Rheum nunquam ſerum de ventre hydropicorum proliciet. In morbis magnis benigna mouent camarinam non expurgant. Dum materia turget, initijs morborum mouendum eſt. tum qui citò tutò agit. Non opus eſt cunctatione vbi perniciosior eſt quies.

Nocebit in magnis mitè mouebit non expurgabit.

EXAMEN DVORVM ΓΟΛΥ-χρηστῶν Stibij & hydrargyri, vulgaris mercurij.

CAP. XX.



T iniuſtè reus, alieni peccati pœnas luit, ſic duo hæc mineralia cæterorum vituperijs iniquè aſperguntur. Conſuetudo tyrannus eſt. In more poſitum video, vehementiam medicamenti cuiuſuis, ſtibio imputare. Imò & ſymptomata terrifica, à cauſis deliteſcentibus oriunda. Audias & poſt decem annos nata vitia, ſtibio olim vſurpato commendari. Sit bonum præſens, damnum emergens Qui hydrargyro percurati ſunt, infames putantur, & improba valetudine. Quod morbo debetur, datur medicamento ſæpè. Semper imperitè adhibitum, malè præparatum, infa-

Mineralia omnia venena non ſunt.

Vt nec vegetantia ſalutaria omnia.

Non est hydrargyrus artificialis sed natiuus.

Nullus arte è mineralibus elicitur.

mat laudabile alioquin præsidium. Cuiusque suæ sunt dotes, sua incommoda. Calumniatores mala obiectant, tacent commoda. Deceret vituperia detegere, & remouere maleficia, vt fructuosis beneficijs frueremur. Hoc ipsum est quod meditamur: dicendum, si venena sint, & etiam talia, si non possunt humana industria commendari.

Hydrargyrus, argentum viuum Plinij, mercurius Chymicorum, vna & eadem res est. Ex sponte est nascentibus, vt Galeni dubium tollatur. Nullus est artificialis, nullus è metallis è mineralibus eruitur. Multò minus è vegetalibus, vt trifolio, berula, peto, staphisagria & similibus. Si inde manat, actu & immixtus continebatur non potestate, & permixtus illic erat, tanquam miscibilium aliquod. Inania sunt Paracelsi & mancipiorum eiusmodi figmenta. Eruitur è cinnabari minerali, vt verè Plinius. Sed actu & distinctè illic continetur, vt sola concussione, & forti mallei ictu excutiatur. De quo plura peculiari capite reprehensionum Libauij. An metalia dicuntur artificialia, quod à lapide minerali expurgata & depurata sint? An & cætera mineralla, sulphur, vitriolum & similia? Imò si quædam Chymistarum laboribus è naturæ possibilitate eruuntur, vt aurum & argentum, nusquam artificialia, sed purè naturalia sunt. Ars nihil quicquam ad-

Generatur cum propria gleba.

Vt cætera mineralia.

Non est venenum nec venenatus mercurius.

dit, Totum negotium naturæ committitur. Sic nec tritici cultura artificialis eſt. Sed ad rem

Primus Dioſcorides hydrargyrum inter errodentia collocauit. Hunc ſecuti omnes Græci, antidota dederunt, quæ roſioni mederentur. Nimiùm ſanè perfunctoriè, omnes de huius medicamenti admirandis viribus dixerunt. Eius naturam vt decebat non æſtimarunt. Diuinus Galenus fuit in cæteris ſimplicibus admirabilis & inimitabilis. De hoc ſolo loquitur dubius. Si affirmare cogas, venenum pronuntiat Anazarbæi exemplo. In alijs iudicium cohibuit, antequam manu, oculo, lingua, quæ eſſent exploraſſet. Hic teſtis auritus loquitur. Ea pronunciat quæ ſagaciores Arabes falſa ſignificarunt. Dioſcorides, aut ſublimatum intellexit aut ex forti præcipitatum, calcinatum, minime elotis ſalibus. Sic enim rodit, vlcerat, inflammat, quanquam non pondere ſed calore acri. At de crudo quis talia auſit? Inuictis argumentis Iulianus Palmarius patruus noſter frigidum humidum in 4. gradu demonſtrauit, in peculiari opere. Venena autem manifeſtis qualitatibus ſola quantitate noxia ſunt præſertim frigida. Pharmacopæus Conciliatoris multas hauſit libras vnde glaciatus ſanguis. At ſeruus Pharmacopæi alius furti cauſa copioſum hauriebat ex aluo redditurus.

Quicquid dixerint Græci.

Temperamẽto eſt frigido:

Sola quantitate eſſet venenum, vt alia multa.

Ergo non rodit non exulcerat.

Non corpora noſtra.

Ab illis potius patitur quam agat in ea.

Marianus Barolitanus vidit deuoratum à muliere ad libram vnam & dimidiam. Alij innumeri innoxiè assumpserunt. Datum est sæpiùs paruulis verminosis, difficulter parturientibus, torminosis, magno profectu & iliacis. Quo iure ergo venenum, docti iudicent. Maleficia illi tributa partim conficta sunt, nulláque ratione suffulta, partim imperito vsui, imperfectæ correctioni conueniunt. Rodere nunquam fuit obseruatum. Obseruatum puto, eius ope metalla durissima in calcem, in puluerem, in atomos abire, non aliter ac stygia. Duorum vnicum effectum vni causæ dederunt. Stygia vrentissima est, isto feruore crediderunt metallum comminutum. Mercurio metallum abit in pollinem, vrere vt stygia pronunciarunt. Falsa equidem omnia. An enim stygia ipso igne ardentissimo calidior? At aurum, igne inuictum manet. Stygia vulgaris, ex solo salium spiritu, momento argentum soluit. Aurum illæsum dimittit. An aurum durius? Mollius tamen & malleo obsequentius affirmant aurifabri. Si Stygiæ ammonium dissoluatur, aurum statim soluet. An ammonius sal omnibus alijs calidior? At regia illæsum relinquit argentum. Sanè non calore, non frigore, hæc quæ dicta sunt peraguntur, sed certa rerum proprietate, qua omnia conueniunt aut aduersantur. Mercurius aut metallum est sola fixione deficiente, aut metallicus. Ob materiæ communionem metallis admiscetur per-

Introsumitur innoxiè.

Foris vtiliter adhibetur.

Etiamsi metalla calcinet id facit non calore.

Vt neque aqua fortis communis & regia.

Sed materiæ communione.

facilè. Si plurimum superat metallum, in atomos innumeras & minutissimas deducit, pro certa proportione, qua illi maritatur. ἀμαλγαμα nominant Græci, quasi matrimonium. Dum igne vrgetur ventus solum fixum manet tantò communitum, quantò exacta erat mixtio. Cur ergo dissoluit metallum? id habet à substantiæ quasi identitate. Sic multa dura liquore dissoluntur, nulla acrimonia, sed sola liquoris proprietate, quæ in congelatis & induratis symbolum liquoris inuenit. Summa liquidi, superat summam sicci, vt totum soluatur. Non aliter ac aliquando summa volatilis superat summam fixi, & contrà. Sic in metallis symbolum inuenit mercurius, quod vnius sint generis, ne dicam speciei, cætera omnia respuit. Non conuenit cum vegetantibus, non cum animantibus, etiam magno artis studio præparatus.

Similia similibus miscentur facilè.

Sic dura multo liquore soluuntur.

Sine calore, sine acrimonia.

Quod si mutatio obseruetur, erit solius mercurij, non ἑπρογενῶν; mutationem recipiet patiendo, non agendo. Sic hominis saliua, sic hyosciamo necatur, sic succis herbarum induratur, vt malleum sustineat. nusquam verò obseruatum est vegetans, nunquam animal, à mercurio mutatum in substantia. Potest quidem frigore, communi qualitate, ardores mitigare, vt alia frigida, potest humores fluxiles in vijs communibus oberrantes euacuare potest, ex accidenti dum proprio frigore calorem partium infirmat, pituitam

Quod agit in corpora nostra non est substantiale.

Frigore calorem infirmat vnde generatur pituita.

Freno desti-tuta acrimo-niam acqui-rit, vnde vl-cera. prouocare è propria partis substantia manantem, caloris natiui impotentia. At hæc illius sunt, aut vt dixi quatenus frigidi, aut quatenus cathartici. Propterea nec hac causa venenum erit, nec vt tam multa verè deleteria reijciendum. *Vtilitas mul-tis probatur authoribus.* Intus dari innoxiè doctorum calculis mox dicebamus. Foris autem adhibiti quot & quanta sunt eius beneficia? Auicennas dedit ad tineam, Mesueus ad scabiem. Antonius Musa ad partum facilitandum. *Adhibetur vlceribus.* Marianus ad tormina. Vulgò domat rebellia vlcera, soluit scyrrhosos tumores, herpetes cohibet, Eysipelata reprimit, *Vnde non po-test esse ve-nenum.* phlegmones mitificat, scabiem siccat, lepram, psoram & fœda cutis vitia depellit. An ergo venenum? Est ne aliquod venenum? quod cute aperta, rupta, tutò exhibeatur? Arsenicum, auripigmentum, aconitorum, napellorum genera, sunt-ne vlceribus salutaria? & Taxus sola vmbra est lethifera, nux caribarica. Falso ego hydrargyrus tot authoritatibus, tot rationibus, tot experientijs *Licet mala quædam fa-ciat non cor-rectus & ni-mia quanti-tate datus.* asserta inter venena computatur. At recondita proprietate solidarum partium substantiam dissoluit in pituitosum excrementum πτυαλίσμῳ euacuat, non solùm ore sumpta, sed & foris adhibita, molestis vlceribus os ipsum dilacerat, dentes dimouet, gingiuas frustulatim eijcit. quomodo inquiunt talia à frigido? Sane sunt hæc quibus displicet: nihil est omni ex parte beatum: dum aliqua sui parte iuuat, alia nocet; non est bonum

sine malo. sed horum causam sciscitare placet.

Authores Alchemistæ qui veram metallorum anatomiam scrutati sunt, dum sanitatis causa mercurium colunt, serpentem nominant, in cuius duobus extremis in capite & cauda lateat venenum, solus venter sola media substantia, vtilis est & medicamentosa, tot malorum expers quæ integro & imparato tribuuntur. Vna autem sublimatio has partes secretas exhibet. cauda in fundo vasis subsistit, corpori fixo adiuncto, sociata. caput per summa volitat vt puluis tenuissimus qui in crystallum vix cogitur. Media substantia vasis lateribus adhæret, neque ascendit altius quantumuis ardenti igne adhibito: crystallina est solida & malignæ illius auræ vacua, quæ nunquam proferet enumerata accidentia. Alio modo & verè magistrali præparatur. quo tota fit benefica tota medicamentosa, quo mirum dictu ex summo veneno, fit summum venenorum & magnorum omnium morborum alexiteriū. Scilicet hoc vnum est & verum, mi Libaui, magisterium. Eodem modo, eadem & mirâ arte, sandaracha Græcorum elaboratur; cuius quot & quanta beneficia? Eadem & duæ substantiæ mercuriales vnius radicis componuntur. eadem mercurius per mercurium extrahitur, nō ex auro, non ex argento, vt imperitè & oscitanter nugaris, sed ex corpore Magnesiæ quæ Regina est minerarum. sed hæc omnia non nisi nutu Dei. Hæc monere placuit vt intelligas cuius sit medicamēta chymicè præparare.

Maleficia arte tolluntur.

Infinitis modis.

Vniuersale fit medicamētum.

Purgat susque deque.
Sudore.
Vrina.
Vtroque.
Alterat.

Omnia potest & præstat.

Vt admittit omnem præparationem.

Venena & medicamenta mutuò permeare, non ſolum vſu, ſed etiam quod præſtabilius, præparatione. qua qui medicus inſignis eſt, ferè eſt omnipotens. Atque vt ad mercurium redeam Protheus eſt, qui in mille facies mutatur. qui ſemper facit miraculum reſurrectionis inquit Fallopius: recipit omnem Chymiæ laborem putreſcit, diſſoluitur, diſtillatur, calcinatur, ſublimatur, figitur miris modis. erubeſcit, albeſcit, ſtygia communi, regali, oleo ſalis, vitrioli, ſulphuris, vt cum minio cum croco, cum lilio de colore decertet. Soluitur in aquam, in oleum, in butyrum, & in alia multa multis modis.

Et omni modo administratur.

Sic foris & intus adhibetur, poteſtque diuerſa & omninò contraria. Aluum ſolam mouet, ſolum vomitum, aut vtrumque ſimul, ſolam vrinam, ſolum ſudorem, aut ſimul omnia, aut nihil omninò, pro vario apparatu. quinetiam vlcera ipſe facit, quæ facta idem ſanat: tumores parit quos diſſoluit. tot & alia multa illius ſunt ſolitarij. At cum alijs mineralibus minoribus, maioribus, & ſemimineralibus, ea præſtat quæ fidem omnem ſuperant. Cicuratur autem & miteſcit plurimùm menſtruis nobilibus animalium & vegetalium, in quibus feritatem omnem deponit. ſed proprietas eius mirabilis eſt, qua ad vniuerſalis naturam aſcendit. In naturis biliosis bilem, & in alijs humorem congenerem vacuat. quin & certis temporibus certum humorem. Et adeò naturæ placet vt nihil moueat,

Contraria omnia poteſt.

Et ſolitarius.

Et omnibus ſociatus.

Accommodat ſeſe aſſumentis naturæ.

ueat, si nihil obertet in vijs communibus excernendum. cum sale communi calcinato paratus talis est. sale enim plurimum mitescit, plurimùm augetur vis salutaris.

Mala illius sunt integri. Quæ obijciuntur incommoda, illius sunt integri & imparati, illius sunt & diutiùs continuati. Alia cathartica scammonium, colocynthis, agaricus, si pluribus diebus continuis, si dosi nimia exhibeantur, hypercatharses concitant, dysenterias, immoderatas alui fluxiones, quibus corpus vniuersum dissoluatur. *Bona legitimè & instè praeparati.* Vlcera autem facit pituitæ salsæ interuentu: destituta enim caloris imperio è communi loco in ventres delabitur, corrumpitur, putret, acrimoniam acquirit & salsedinem, vnde rosiones vlcera & similia maleficia. *A frigore ferè omne malum.* Sic brumæ frigore concitantur, quæ & palatum & nares & oculos exulcerent: sic senes frigidissimi salsis & vlcerantibus fluxionibus conficiuntur. *Talis enim facit & rigida hyeme.* omnia à caloris nostri infirmitate potiùs, quàm à medicamenti proprietate. Sunt certæ naturæ robustæ imprimis & validissimæ, quæ ipsissimo diutissimè continuato, siue foris siue intus adhibito, ne tantillum commouentur. *Et senectus frigidissima.* Nullus autem est qui catharticis non euacuetur plus minùs, pro dosi aut humoris redundantia. Ergo effectuum illorum causa frigori tribuenda, non calori.

DE STIBIO.

CAP. XXI.



Si non est venenū hydrargyrus, multò minùs, stibium.

AFFINE est hydrargyro stibium. Est quasi congelatus mercurius in quem natura paululùm operata est. Quòd si hydrargyrus veneni expers est; veneno carebit & primogenitus filius: quod vt in mercurio placet inuestigare. Qui de venenis scripserunt medici, nunquam antimonium venenum existimarunt. nulla extat eius antidotus: quæ plumbo tribuuntur, illi non conueniunt. toto cœlo differunt nec possunt permutari, non potiùs eius regulus plumbum est quàm auripigmẽti, quam sandarachæ metallina. Video intrepidè datum à Dioscoride Galeno, Plinio Græcis Arabibus ad externos & int. affectus. Illis authoribus refrigerat siccátque cum adstrictione. Vim habet stipticam quam laudat in cathartico Mesueus. Ocularibus medicamentis adhibetur: sistit sanguinem è meninge manantem. prodest cruentis vulneribus, vlceribus cicatrice tegendis. Auicennæ oculum seruat, terget, declarat, muliebres fluxus sistit. Adhibetur crudum & coctum. Ex quibus intelligitur crudum saltem & imparatum, imò & vstum venenum non esse. sed salutare præsidium. Respondent calumniatores igne maleficum fieri. Lapis calcis non vstus innoxius est: at calcinatus calx viua concepto & latente igne nocentissimus est. Stibium lapis est

Tale nullus author dixit.

Omnes vtile agnouerunt & dederunt.

Ergo saltem integrum non est venenum.

Nec præparatum tale est vitrificatum.

Non Manet empyreuma igneum quod non est acre vt calx.

Nec à borace addito id habet.

mineralis,nec ſolo igne fit maleficum , ſed & ex adiunctis. Sed tamen ardor igne conciliatus, vt in calce viua, vt in lapide vſto tactu guſtu perciperetur. At vitrificati ſtibij calor nullus acrimonia nulla, planè inſipidum eſt. ergo violentia non eſt ab igne derelicto ab empyreumate. Inter præparandum borax additur pro fluxu promptiore. At borax ex benignis eſt, neque enim eſt chryſocolla mineralis, ſed ex ſale communi tartaro & lacte cõparatur, adiecto aliquando alumine. Et licet malignus eſſet borax, non inficeret ſtibium. Neque enim vnquam metallicis miſcetur: ſeparatur à congelato metallo, nec cum illo conuenit. Quam tuta autem eſſent aurifabrorum vaſa omnia, quæ & borace funduntur, & eo ipſo adiutore ferruminantur ac ſoliteſcunt. dum fluere facit medium vnionis. Ergo ſolum reſtat artificium quo incarceratus ſpiritus liberatur, cuius facultas eſt aluum ſuſque deque mouere, tanta vehementia vt venenati & exagitatorij cathartici iura demõſtret: fateor equidem in vitro vulgari eam ſubeſſe cacoëthiam, qua plurimos lædat, præſertim anguſto & breui thorace, difficile vomentes, infirmis pulmonibus quibus denegatur, non ſuadetur vomitio. At alios cur non iuuabit etiam hoc vitrum vulgo præparatum? doſis ſit iuſta, detur præparato & humore & corpore, & ijs admixto quæ leniant & lubricent. Sequitur Patrui ſyrupus quo adiuuit innumeros.

Quia ſalutaris eſt factitius, non eſt chryſocolla mineralis.

Et quanquã venenatus eſſet non manet cum metallo.

Alioquin periculi plena vaſa aurifabrorum.

Vitrum dari poteſt ſed quibus & quando decet.

Patruus vtiliter dedit.

♃. vini albi, ℥vj. aq. roſ. ℥ij. infunde per noctem antimonij præpar. & pulueriſ. ʒj. cinam. ʒjß. In Colatura per inclinationem facta diſſolue ſacch. alb. ℥viij. f. ſyrupus, mediocriter coctus, doſis erit ab ℥ß. ad ℥j. ex cochleari, poſt hauſtum ius pulli aut vitulinæ carnis inſulſum: hac arte colicos cruciatus ad paralyſim vergentes ſuſtulit plurimos. quin & ſolo puluere apoplecticos liberauit, vt eſt in tractatu de purgandi legibus vniuerſalibus.

Sic nec vitrum venenum eſt.

Quantò minus ſi chymica arte elaboretur.

Quod ſi arte Chymica diligenter elaboretur, ipſiſſima edet quæ mercurio tributa ſunt, & ſolitarium & alijs ſociatum. calcinatur & igne ſolo, & aqua regia & ſale petræo, túmque ſpiritus ille vomitiuus expirat. calx diutius digeſta ſudorem & vrinam mouet. Soluitur multis modis in oleum efficaciſſimū, tincturā producit quæ panaceæ nomine iactatur.

Martinus Rullandus infinita profert exempla. Alexander Suctenius præclara de eo ſcripſit, ſed non cuiuis patent. Eſt modus ſupra cæteros quo totus figitur, & perficitur in medicamentum non ſolùm innocentiſſimum, ſed πολυχρήσον. Auro ſociatum ſudorificum eximium eſt, hydrargyro fit mercurius vitæ, cuius facultates verè vitales, & morbicidæ, ſi his duobus aurum accedat. flores promit mouente calore, vomitiuos quidem, ſed ſi ex vini ſpiritu & mellis circulentur omnem deponent vehementiam; retinebunt ſolam deijciendi facultatem: violentia ſcilicet à cruditate eſt, quæ coctione & men-

Tot ſuſtinet labores, tot promit facultates, quot hydrargyrus.

Et ſolitariū datur.

Et alijs admiſcetur.

Dat vitrum regulum.

Oleum cryſtallum.

Mercurium vitæ.

ſtruorum nobilium clementia miteſcit. Ex eodem cryſtalli habentur qui nulla vacuatione tertianas & quartanas expediunt. Regulum, quaſi gallina ouum ponit, ad ea vtiliſſimum quibus commendatur mercurius. Ex ipſo cum ſulphure cinnabaris rubicundiſſima fit, cuius dotes innumeræ. Ergo illa duo non natura ſua, non preparatione venena ſunt ſed ſolo vſu nefario & imprudenti: quomodo & clementiora talia ſunt: & ipſiſſima alimenta morborum ſunt cauſæ.

Diaphoreticum.
Panaceam Purgatorium
Ergo nec hoc venenum eſt.

CVR HIPPOCRATIS TEMPORIbus ſalubrius viuebatur. cur nunc morbi funeſtiores, aduerſus eos quid nunc medicina Chymia adiuta.

CAP. XXII.



HYSICVM agens, finitæ virtutis tandem imminuitur. agendo enim repatitur. ad finem contendunt concurrunt omnia. ſeneſcit mundus, natura contabeſcit, effœta & ſenilis euadit: vt finis ab origine eſt, ſic quæ longius proceſſerunt laſſantur magis, ac in ſeipſis ægrotant. Quæ ortui viciniora, vegeta, læta & fauſta omnia. Contra in hac mundi & mundanorum ſenecta. communis eſt omnium deturpatio, non ſolum totus homo morbus, ſed & ſublunaria, impura, contaminata ſunt. Radicali fundamento ineuitabili ἀδρασία debilitato, plurima foris acceſſe-

Prima mundi ætate natura ſublunarium vigebat
Vt adoleuit mundus, ſic morbi naſci coeperunt.
Tempore Hippocratis puriora erant omnia quia recentiora.

runt aliena. nutritionis neceſſitate ſuccreuerunt non pauca, latentis eſſentiæ, & viuacis facultatis ſepulchra. Qui nunc nutritur, qui nunc ſanatur homo, & naturam impotentem & alimenta & medicamenta haber δυσχρῆστα hiſdem de cauſis. Quid-ni ergmo orbi difficiliores? ſanitas inſalubrior?

Morbi cedebât remedijs.

Natura valens non aliter ferebat.

Prima mundi ætate vigebat natura in omnibus: tum homines glande etiam ſani alebantur. ſimplex erat medendi via veterum quam Galenus laudauit. morbi magna exparte erant ſimplices. nulla ante Galenum excogitata eſt intemperies. Hippocrates febres quas ignes vocabat, ſuis etiam deleterijs, helleboro, peplio, eſula, ſcammonio perſanabat. ignoratis Arabum clementioribus: natura tum fortior, morbos quos non ita ſæuire ſinebat opportunè extinguebat, etiam cum talibus medicamentis.

Nunc duabus his cauſis infauſta ſunt omnia.

Natura debilis impura præſidia.

Nunc & ſæculum inclinauit ad luxum, ad ſocordiam, & annorum numero imparia omnia. Creuit morborum parens, & nutrix intemperantia, quæ & veteres & Hippocratem mendaces fecit. Fecit morbos arte & medicamentis & natura ſuperiores. impoſuit nobis artem noſtram à veteri diſſimilem. Rerum naturæ vires eundo amiſerunt. Tum cultura in alimentis, cura & ſolicitudo in victu maior. glans in meliorem frugem commutata eſt. Vehementioribus medicamentis blanda ſubſtituta, quæ perferre poſſet ſenilis natura. Medicinæ ſimplici compoſita venit auxiliatrix.

Tum erat ars impotens plus poterat natura.

Galenus intemperiem adiecit, quam Hippocrates inutilem pronunciauerat. cui & medicamenta ſimilis facultatis oppoſuit, vt cōſtaret cōtrarios morbos contrarijs depelli præſidijs. Dum hæc fiunt cauſæ efficiētes paulatim atteruntur. vnde tandem quaſi elumbia omnia.

Scientiæ artes nunc abſolutiores.

Sic bifariam patitur homo, intus & extra: alit Mattreæ belluam, ſecum gerit necis cauſam, fouet illam in proprio ſinu. Morbi vndique homini, à cœlo, ſolo, & à ſeipſo. morbi inquam ineuitabiles, vixque ſuperabiles, eoque magis quò longiùs proceſſit ætas. Mundi & mundanorum omnium præſens eſt ſenectus. In ſenectute irrita, infauſta omnia.

Quia animi partus.

Sic in prima mundi infantia ſanitas conſtantior, morbi pauciores, & vt plurimùm ἐυίατοι pauca erant in victu errata, leui brachio ſoluebantur. non quod ars tum potentior eſſet, imò multò minus poterat inſtrumentorum inopia, tam multorum medicamentorum inſcitia, quæ poſtea mater neceſſitas anxiè adinuenit. Inconditæ erant medendi leges, indefinita præcepta, quæ ex ſingulorum obſeruationibus naſcuntur, adoleſcunt, maturantur. Medicina tunc erat fœtus recens conceptus. Primus Hippocrates experimenta de fano Æſculapij eruta, in artem coëgit. Adiecit ἀποδείξεις iuuantis & lædentis. Quæ autem mageſtas, quæ fortitudo in iſta infantia? in tanta medicamentorum penuria, præparationum ruditate & ruſticitate? Tunc ex parte artis, contraria ſunt omnia.

Quia ſeneſcendo fiunt ſapientiores.

Prima ætate artes erant rudiores, tempore ſeſe perfecerunt.

Medicina & Chymia animorum ſunt fœturæ.

Artes, ſcientiæ, fœturæ ſunt formarum metaphyſicarum. Animi ſenectutes neſciunt, agendo perficiuntur, viuunt agendo, ἐνδελεχῶντα. ſenior animus ſapientior. υτέραι φροντίδες σοφωτέρ ι quo plus impleueris eo fit capacior: nunquam ſatiatur, grauidus eſt ſciendi deſiderio. perpetuo parturit aliquid nouum, quod fæcunditatem teſtetur: perpetuò ſcientias, artes, aut nouas condit, aut conditas exornat, ditat, amplificat. Omnia pro præſentibus neceſſitatibus, pro vrgente calamitate.

Non erat Hippocrati abſoluta medicina.

Hippocratis ætate medicina certis quidem fundamentis, veris demonſtrationibus ex propria natura deſumptis ſtabilita fuit. ſed in natura perpetuò abſoluitur aliquid. Ars non erat tunc ſuis numeris abſoluta, ſed egena, manca, ſterilis in medicamentorum præparatione. Cur ergo tunc meliùs fiebat medicina? morbi fœlicius ſanabantur? nunc contraria cur omnia? medici cur nunc viuunt inglorij? tunc inter Deos referebantur? Sanè præſens natura & hominis & ſublunarium, vetuſtate quaſi collapſa manet: ægrotanti duplex negotium, vnum in defectu corporis reparando, alterum in medicamento perficiendo, & morbificæ cauſæ fortiori æquiparando. ſic deteriora omnia, quod natura minus valeat, quod medicamenta inefficaciora ſint, quod morbi, vitia, maiora, ſæuiora. Humores effræni ſolent huc illuc impelli ὀργεῖν. non

Deſiderabatur ſedula præparatio remediorum. Quæ ex chymia habetur.

Poteſt geminam cauſam tollere.

Naturam roborare. Medicamenta perficere.

reguntur iuſtè ab impotente natura, non cohibentur ab infirmo præſidio. Tanta calamitas morborum ferax ſeges, in dictis cauſis delitescit. Medici accuſantur ex veterum legibus iudicantes, in medicamenta morbo imparia confidentes, hincque aut tremulè de euentu dubij, aut audaces falſi ſunt in diagnoſi, in Therapeia, in diuina prognoſi pronuncianda.

Medicinam ſua acceſſione iuuat chymia

Quid verò nobis agendum, ſi ars impotens eſt, non methodo, non præceptis, non ipſa artis doctrina, cùm vt dictum eſt, nunc ſit abſolutior & longè perfectior? ſed medicamentorum infirmitate & naturæ noſtræ impotentia? Quid inquam ſupereſt? An vtrumque perfici poteſt? poteſt e quidem natura noſtra ſimili ſubſtantia reſtaurari. Poteſt reponi non ſolùm ſimilis, ſed fortior, ſed conſtantior, ſed durabilior. Nam ſi ars poteſt naturam imitari, quid-ni & ipſam ſuperabit? Natura vno ſemper modo agit. ars conſilio & ratione ducitur. Natura non poteſt ſe ſuperare, ars nullum inuenit actionis terminum. ſuperatur natura frequenter in morborum curationibus. Quid-ni & in medicamentorum multiplicandis viribus? addendo ſimile, & detrahendo diſſimile, quod viruti erat impedimento? Ars autem Chymica hoc vnum pollicetur, medicamentorum naturas non ſolùm auget, ſed ſæpe permutat contrarias ſalutaribus, dum alimenta medicamenta & ipſa venena mutuò per-

Vt parentum ſalutem honores & æmulari & mereri & ſuperare poſſit.

Defectus corrigere. reducere ſupplere.

Natura vt medendi arte ſæpe ſuperatur.

Sic omninò chymia, quæ mirabilia poteſt, ſuis præceptis & laboribus.

mutat. Eſt ſcilicet vnus ἰατροχυμικὸς πανσθένεσης. Omnia poteſt quæ ad medendi perfectionem deſiderabantur. Hic vnus ἰσόθεος eſt Hippocratis medicus, & omni honore dignus. Sic poſſunt amiſſæ artis honores reſtaurari, artis quæ penè occubuerat, infirmatis columnis. quæ diuorum donum eſt & generis ſpes altera noſtri.

Vnde & laus & honos reſtitutus.

ALCHEMIÆ LIBAVII *παρανομία, eiuſque repudium.*

CAP. XXIII.



LIBRVM primum non placet attingere. præcepta ſunt quæ in ſecundi exemplis iuſtiùs confutantur. In ſecundo ergo duo ſunt caſtiganda, vt duo diuerſa geſtit. vnum medicum, metallicum alterum: promiſcuè de vtroque: ſic enim aduerſarius, qui confusè omnia, & ſine arte artem aucupatur. Opus omne chymicum, & hoc & illud ſpeciei nomine expreſſit: diuiſit in magiſterium & extractum. Nomen magiſterij gloriatur à diuina arte, ad ſuam impoſtoriam tranſtuliſſe: vt & nomen myſterij, arcani, ad extracta dediſſe, ad tincturas, ad olea &c. Alibi tamen hæc vocabulorum portenta reijcit: mauult conſueta & pharmaceutica retinere: Sic enim monitus à Schola, comm. 1. part. lib. 1. ſuum

Vt ſine ordine metalla medicis miſceantur ſic & refutatio.

Magiſterium reijcitur. Nomine. Origine.

artificium decoxit, vt inutilis eſſet hic labor, niſi ab inconſtanti & vertumno Libauio, metus fuiſſet palinodiæ. Videtur, inquit, in neceſſarijs ſolùm elaborare, & luxuriantē, imò inutilem magiſteriorum arcanorúmque, in quibus plus ſæpè iactantiæ & vanitatis eſt, quàm veri auxilij & rationis ſanæ, copiam præcidere, & vel ad alias artes ablegare, ſi quid habent emolumenti, vel damnare penitus.

Sed liceat cuiuis, pro arbitrio nominibus abuti, artes hieroglyphijs onerare, obſcurare. Videndum quàm benè res ipſæ cohæreant cum iſtis noui artificij, nouis fundamentis. Magiſterium, inquit Suctenius, dixerunt Philoſophi, perculſi operis promptitudine quaſi momentanea, & in ictu oculi facta. Natiuitas eſt lapidis, dies & hora partus, cùm ſecunda operatio, immediatè alligatur primæ, cuius ignoratione opus deſtruitur. In vno vaſe fit, ex vna materia, in qua nihil redundat, nihil deſideratur, nulla adiectio, nulla detractio neceſſaria. Eſt ſcilicet tota magiſterij ratio ſine ſeparatione, nullo modo ſpagyrica eſt, ſed purè Chymica. ſic differt ab extracto quod potius ſpagyricum. *Significatione veterum.*

Placet enim Alchemiæ diuiſio, in Hermeticam ſiue Chymicam, & ſpagiricam. Diſplicet ea, quam dedit Libauius, in Encheriam & Chymiam. Inſtrumenta fiunt pro operatione, non contra. *Reijcitur diuiſio operis.*

Datur melior artis.

Sic Galenus libro de vsu partium. Diuisio fit in contraria. Veriùs Hermesia aduersatur Spagiriæ. Sic vnio diuisioni. Hermes, non est authoris, sed materiæ nomen. Hermes est mercurius. Est in mercurio quicquid quærunt sapientes. Habet suum ignem, vas suum & similia. Ipse suas alterationes sibi infert. Se soluit, gelátque, se sublimat & figit & alia. Ergo magisterium desumendum ab opere sapientum. Operi consentanea de magisterio dicenda sunt.

Hermetica ars dicitur à materia.

Conuellitur definitio magisterij Libauij.

Libauius autem immemor originis, hanc dedit finitionem. *Est inquit, species Chymica elaborata sine extractione.* Mox profert exempla quæ omninò aduersantur. mox enim addit, & demit ad placitum. *Sic olea scorpionum, catellorum, infusiones, decocta, vesicatoria, rubificantia, dropaces, ex cantharidibus, bryonia, sigillo, ranunculo, tusis cum aqua vitæ.* ô bella magisteria, sine detractione aut additione! facit & magisteria qualitatis occultæ, manifestæ, vtilis, nocituræ, quam aliquando tollit, occultat, diluit, vt sub boni specie venenum deuoretur. Similis farinæ sunt cætera: sed ad definitionem. Dicitur species chymica: quid verò species? Compositio ex essentijs pluribus iam elaboratis, & non ex rudibus rebus confusis, & ad vnam formam vno processu elaboratis. Sed in exemplis, vbi sunt essentiæ? & si essentiæ, fiunt-ne sine extractione? sine separatione molis elementaris? imò verò ad extracta referuntur. epist. 11. lib. 3. Quæ verò

Exempla reijciuntur.

Quia nihil habent quod respondeat definito.

essentiæ in magisterijs ponderis, saporis, fixionis, extractionis mercurij è metallis? Vide Lector, quàm benè hæc definitioni, & naturæ magisterij conueniant, & iudica.

In qualitate occulta. Ridiculus omninò est, in magisterio qualitatis occultæ, cum qualitas perniciosa in totum aboletur. Si aboletur, quid erit magisterium? quid exaltabitur? quasi verò mala pharmaca suos vsus non habeant. Quasi non sint & in venenis magisteria, nec possint metallicæ inseruire. Sic impurè & impropriè omnia. Meliùs Paracelsus exempla voluit vinum & acetum, quanquam nihil meliùs in processu. Ergo, inquies tolles de arte magisteria? Ego inquam iustè. Quorsum enim eo nomine, ea designabis, quæ nec præparationes, nec res ipsas, rei & nomini haud conuenientes sapiunt, cum alia sint commodiora? Quorsum nomen obscurum, à te ipso non intellectum, vt nec rem designatam sine ratione, sine necessitate ad tuam artem transtulisti? Sic ergo corruit pars maior libri secundi, quæ tamen particularius peribit in sequentibus. *Reijcitur magisterium & quare.*

Vanitas Libauij pro lapide. Pergit transmutator nasutus. Asserit de suo, mercurium vulgarem purgatum, esse philosophicum, vt & aurum aliquoties fusum, cementatum, fulminatum. Et bonus ille nescit mercurij communis purgationem, sublimationem cum proprio corpore: ignorat corpus proprium, aurum adiungens. Iudicares tamen peritum artificem, cùm iurat ita præparatum, esse auri rapacissimum. Con-

tra Michelium. Ego cùm aliquando elaborarem aurum, abſtrahendo ab eo hydrargyrum & poſtea iungerem mercurio Philoſophico ex corporibus facto, his oculis vidi auidam admodum & promptam coniunctionem ſcilicet ille mercurius ita præparatus fontina eſt cœleſtini caloris Comitis Treuirenſis. Procul verò hinc eſte prophani. Apage ſcholam Pariſienſem. Apage totam Galeniam. Paucis & apertis totum artificium reſerauit Libauius, doctor illuminatus: alioquin morietur apoplexia, quia ſecretum artis, verbum dimiſſum propalauit. Itane perculſus animus, iam moribundus in cæteris ſequentibus delirat? Quæ enim ſuperſunt, tot habent artis vituperia, quot verba.

Ludit.

Magiſteriorum profanatio.

Aliquando ad culinas mittit migiſteria, aliquando peregrina addit, contra magiſterij naturam. aliquando ſubiectum patitur detrimẽtum in meliore ſui parte. ſic ſtibij diuaporantur ſpiritus, ſic arſenici. O Sucten quantùm falleris, cùm tuo igne Solem Lunæ iungis, ſine iactura dum momento lunam philoſophicam facis ex antimonio tuo, vt ſit verum magiſterium! Diſce ex Libauio gymnaſiarcha, diuaporandum eſſe ſulphur. Artificia arſenici, realgaris, quàm malè dantur ſanitati? quàm imperitè ſpiritibus efficacibus priuantur, cùm poſſint metallicæ inſeruire? Quid verò ſi in fæcibus, tanquam in ſerpentis cauda ſit venenum? Sed hoc eſt Libauij artificium, hæc illius magiſteria, omnia cor-

Ex Suctenio.

Venena norunt ſua magiſteria.

rumpere, artem veram deturpare, propria artis diuinæ placita, in ſpurias & obſcœnas præceptiones tranſmutare.

AD METALLA potabilia.

CAP. XXIIII.



VRVM *potabile eſt aurum diſſolutum, & penitus exhauſto menſtruo reductile ad naturam priſtinam, ſoluitur regia commendantur vires in magnis morbis & grauißimis.* O inſignem verò iatrochymicum. Ars tua, Libaui, in ſummis Chymiæ delitijs crapula eſt. Aurum potabile, ſapientum delitiæ, & artis decus. Vulgare aurum regia ſolutum ſophiſma eſt, venenum eſt: reductum verò inefficax, vt primarium. Quod regia peragitur, eſt-ne diſſoluere? Diſſolutio aduerſatur mixtioni. Vtraque à natura eſt. Ars neutram poteſt. Mixtio eſt mixtilium alteratorum vnio. Ergo diſſolutio vnitorum diuiſio. At fortis regia, diuidit & ſecat metallum in corpuſcula ſolùm, in ramenta. Quæ atomi deſcendunt adiecto mari, retinent metalli nomen & vultum, propterea eſt reductile. Non reduceretur autem, ſi ſolutum eſſet. Cùm itaque tibi ſit reductile, qui tibi eſt potabile. Dicitur potabile, cùm amiſit ſoliditatem præſentem metalli, imò & poteſtatem.

Ridiculum eſt aurum potabile promedicamento vniuerſali.

Non diſſoluitur arte vera diſſolutione.

Hoc naturæ eſt non artis.

Regia non id poteſt.

Potabile non potest reduci.

Ad potabilis conditionem non ſatis eſt liquoris ſpecie deuorari: ſed debet à calore noſtro, ſi non vinci, ſaltem alterari, vt ſalubriter hauriatur. Vis enim conuenire grauiſſimis morbis. Quandiu erit in natura metallica, tamdiu eludet caloris noſtri conatum. Vim & negotium inferet naturæ. Tamdiu manebit compreſſus & ſepultus, ſpiritus efficax. Vnde ergo erunt vires in magnis affectibus, ſi virtus non ſit expedita? Aurum potabile omnem depoſuit materiæ metallicæ ſoliditatem. Amiſit craſſitiem & ductilitatem. Amiſit, inquam, verè ita vt nulla ſit diſpoſitio ne quidem potentialis, vnde ſperetur reductio. Dum celebratur proiectio, ſatis eſt materiam metallicam à patiente & tranſmutando conferri. Elixir philoſophorum, lapis metaphyſicus verum aurum potabile ſapientum, ignis eſt ferè purus, ignis expurgatorius, quaſi forma ſeparata, quæ inutilia tollit, imperfectum perficit in inſtanti. Quæ enim materia vnius grani ad vnciam imperfecti? Sic eſt philoſophandum Libaui. Aurum vulgare non intrat magiſterium. Vanum ergo tuum potabile. Prodeſt ſola vi roborante, adſtringente, vt terrenum omne. Sic ferri limatura, ſic auri ſcobs & ſimilium. Sed placet vlterius progredi. Dic ſodes, eſt-ne regia eiuſdem naturæ cum auro? Villanouano, quem commentatus es, quod ſoluit & ſoluitur, vnius ſunt generis & naturæ. Aquæ ſalium, aluminum &c. ſpecies metallorum non conſeruant, ſed deſtruunt

Si reducitur eſt efficax & calori vim facit.

Qualeſit verum aurum potabile.

Amiſit poteſtatem reductionis.

Reijciturfortis regia ad ſoluendum.

destruunt. Contraria est aqua philosophorum, quæ conseruat metalla. Vera non est nec philosophica dissolutio, si adhibetur materia aliena Clangor, in aqua philosophorum latet spiritus quintæ essentiæ, cuius est magistraliter dissoluere. Abi ergo, Libaui, cum putidis tuis magisterijs Subijciam tamen hæc pauca Lulliana, vt doctior & cautior abstineas à similibus nugis. *Generale crudum, mercurius in capitulis notus. generale coctum, lapis perfectus. generale quantum, principale tantum. generalitas, possibilitas. generalitas forma & materia elementari carens. complexio nulla in actu, omnes in potentia. ponderositas grauissima, à leuissimo facta, corpus cœleste in terra fixum.* Aurea verè hæc sunt verba, quæ si intellixeris, aurum terminatum & deffinitum reijcies.

Lulliană de sapientŭ magisterio quibus excludatur vulgare metallum.

AD SACCHARVM POTABILE.

CAP. XXV.



LABORAS plus iusto in sacchard potabili, quod tandem concludis non differre ab oxysaccharo simplici. Scilicet manet acetum acrius quo sacchari facultas omninò immutatur contra magisterij promissum. Erat saccharum dulce, ferè temperatum, euasit accerrimum. Erat tussientibus salutare, ventriculo, pulmoni, vtero, neruosis amicum, nunc ob acetum molestissimum. Sic peritus magister

Saccharŭ nec potabile nec magistrale docet Libauius.

Libauius, magiſterium condit; Sic bonus tranſmutator, bonum in malum mutat. Monuiſſet Libauium minimus Pariſienſium diſcipulus, ſaccharum pulueriſatum, oui albumine indurato includere, aut cortice citri, ſub ſcamnis ſcholæ Pariſienſis ſaccharum ſoluetur in liquorem, qui, ſi quid aliud, deſcriptionem magiſterij Libauianam ſaluaret. Sic erit ſaccharum potabile, cum genuinis viribus. nulla detractione, additione nulla. Quinetiam ſi velis, liquorem exaltabis, vt nihil deſit ad perfectum. Doces docendus adhuc, cætera paris ſunt iudicij, quæ perſequi nec placet, nec vacat, quædam attingam vt iudicet Lector de reliquis.

Veriùs Pariſienſis candidatus.

Annotabo craſſam medici adepti ignorãtiam *fol.* 101. *titulo puluis Iouis*, quam repetit in epiſtolis adeò illi placet. *Quidam*, inquit, *neſcio quid arcani ſomniant in occiſo ſuffocatoque hydrargyro per ſublimatum, euadit quidem ille inſtar pulueris plumbei, ſed non amittit naturam.* Ignariſſime, ſi neſcis quid lateat arcani, quid criminaris? Eſt tamen in duobus ita commixtis ſecretum mirabile, tibi & ſimilibus aſinis ignotum & celandum. *In Epiſt. Credetur miraculum euenire ſi ingeratur ſublimati pollen, ſed aperta res eſt, cùm in hoc intentus eſſem acrimonia moleſta nares vellicabat & ſtemutamenta crebrò mouebat.* Riſum teneatis amici? rem dicit apertam, & miraculum agnoſcit, quod nares vellicatæ ſint à tuſo & pulueriſato ſublimato. Sanè Libaui, bardus es & ſtupidus, qui non aliud mi-

Ignota ſublimati vera correctio eſt Libauio.

Et eam tamen criminatur.

raculum agnouisti præter sternutamentum. Aures sunt tibi euellendæ, & fortasse comprehendes arcanum.

AD MAGISTERIVM *fixorum.*

CAP. XXVI.

MALVISSEM sola medica persequi, & Censuræ Parisiensis æquitatem in hæc deliramenta demonstrare. Sed bonum publicum Censuram postulat in metallorum fraudes, Senatus est animaduertere. satis mihi fuerit monuisse, & authorem & Lectorem. Imposturas aperiam vt prætium operis intelligatur.

AD FIGENDVM ARGENTVM.

Quod argentum maturum est, tincturæ præparatur. eodem magisterio creditur in aurum transire, accepta fixione & tinctura. In epist. 39. & 40. multò deteriora habentur. *fol.* 107.

Quis iam poterit Libauium ab impostura defendere? cui enim bono tot metallorum adulteria nisi ad fraudem? Cedo si tantillùm profeceris in metamorphosi, est-ne alia fixio, alia tinctura præter philosophicam? natura est quæ coquendo figit, fixando quasi *Imposturam, Libauij docet metallica.*

Quid sit figere argentū. maturãdo tingit, ſolus naturæ ignis id poteſt. tinctura omnis peregrina eſt, quæ non eſt ab ære noſtro. propria tinctura de proprio corpore duci poſtulat. imò verò non concedunt erubeſcere ſanguinem, mutuato ab hepate colore, ſed dum occultum producitur. Impoſſibile eſt, inquit Arnoldus, non fixum figere, immundum mundare, quia non inuenitur in re quod in ea non fuit antea. Motus perfectionis ab intimo eſt. vnū quodque perfectum eſt, cùm natura τέλος ἔχει. natura interna externo igne adiuta ſeipiam perficit, hoc ſolùm modo, quouis alio corrumpitur. Quis poteſt fructus immaturos ſine Sole coquere, acerbos dulces reddere ſine eodem? Elixir philoſophorum ignis eſt, qui momento id poteſt. Ignis philoſophorum externum agens, id poteſt in operis materiam. Vnde patet vanitas & impoſtura omnium quæ pollicetur ars illa Libauij deceptoria, ignorato igne naturæ.

Maturare & coquere vt fructus.

Cruce digna documenta. Sed dignus eſt cruce Libauius, & liber incendio in magiſterio ponderis. quod Senatus viderit. Monuerat Riolanus ſimiles impoſtores cruci adiudicandos. Noluit Libauius his carere maledictis. docendo publicè monetarum adulteria, aurearum detracto auro, repoſito argento vel cupro: argentearum cupro dealbato. cuncta ita explicatè vt nullus poſſit dubitare. Impoſtor malo animo percitus omnes docet, inſtruit iſtius maleficij. *Dicebat Epiſt.* 1. *lib.* 1. *non abeſt à chymico adulterandæ*

monetæ crimen. Chymico conueniunt adulteria auri, argenti, gemmarum & omnium rerum. Quid dices de te ipso, hæc ipsa, aut peiora proficente? si illa audias de Paracelsicis, eris-ne in eorum grege numerandus?

Massa aurea, inquit falsarius *iusto leuior. &c.* Nolo enim tua repetere, vtinam deleta esset & tui & libri memoria? dicam imposturam, docendo neminem. *Aurum aut argentum imminuis pondere, propriam substantiam detrahis, reddis alienam. Lamellas illine oui albumine, asperge calcem Lunæ*: cætera nefanda, sequũtur peiora, & quæ peritissimos fallãt. *Ponderi aucto opponitur diminutum, fit læuius iústo, etiam illæsa signatura.* *Impostura nefanda.*

Lector bone, quis iam abstinebit à calumnijs Alchemiæ, si hæc docet vituperia? si veram descripsit Libauius, his plenam imposturis? Docet auream monetam, Principis charactere signatam, adulterare argento, pondus augere eodem, sicque pro auro venditare, illæsa signatura. Facinus audax & omni supplicij genere puniendum. Alia præstat tacere, ne doceantur hac reprehensione impij. Libri omnes conquirendi sunt, & in eorum incendio tanti facinoris delenda memoria.

Sed Pol lepidus est, cùm prætexit excusationem. monet hæc bonis dare, non malis. nam cui bono bonis, nisi vt illi similes fiant deceptores? Quasi verò liber suus ipso prudentior, impiorum fallat oculos, eorum manus auersetur. Crede mihi, Libaui, damnatur a probis, desideratur ab impijs, boni in il- *Ridicula monitio explicantis maleficijs.*

lo nihil bonum, medicum nihil, nihil metallicum, falſa ſunt omnia. Iudica ergo Lector, quo iure facultas Pariſienſis hanc Libauij Alchemiam & ſimiles omnes damnarit. quam ſapienter rogauit omnes ab illius lectione abſtinere: fugite ſophiſticationes alchemiſtarum nequam, inquit Comes, & quoſcunque alios, qui fidem iſtis adhibent. Non-ne tu es ille Alchemiſta nequam? Quot enim ſubijcis magiſteria, ſi dijs placet exaltati coloris, albi, rubri, in imperfectis vt perfecta æmulentur? Eſt argenti in aureum colorem tinctura. Aqua eſt, qua argentum colore ſit aureo. Cupri lamina ita albeſcit vt pro argento ſe gerat. Dealbantur ferrum cuprum & alia per ſimiles impoſturas. Exempla addis, modos doces, ne quid deſit malæ artis malis profeſſoribus. Eiuſmodi colores inducis per liquores ingredientes, per ablutiones per additamenta externa. hæc-ne iurabis magiſteria deſumpta ab opere ſapientum?

Probi malum fugiunt, ſed improbi quærunt.

Coloritia reijcienda metallorum.

Nec parſum eſt gemmis. ſaphyrus habet ſua adulteria, cryſtallus ſua, moſchus ex ſanguine hoedi. Mones viri boni eſſe à tuis fraudibus cauere. Iudica quàm bonus tu ſies qui artem in his collocas. Et audebis adhuc tuam alchemiam defendere, pro vera arte tyronibus addiſcendam proponere? Paracelſiæ opponere? Mihi crede, Paracelſus tam iniqua nunquam euulgauit, habet tropos & ænigmata quibus deliteat, ſed tam aperta maleficia non profitetur. ſed videantur ſequentia.

Adulteria gemmarum docet.

AD CAPVT DE GEMMIS ex tinctura.

CAP. XXVII.



ERVM affinitas mendaciorum & deprauationum conformitas, hoc caput sequentibus annectit. Exhibet ille gemmas omnis generis artificiales, quas velit naturalibus succenturiare. Perlæ vniones bezoardicus lapis & alia prætiosa non omittuntur. naturalibus figura, colore, politura, ita conueniunt, vt etiam peritos fallant, sæpe emantur, sæpe deuorentur pro veris in medendo. nec reluctatur Libauius, asserit pares habere vires cum naturalibus. Cedo verò corallum, succinum, gemmas, perlas, quæ pro materia albumen oui, calces metallorum, vitra herbarum, lapidum habeant? quid poterunt aduersus pestem & venena? In illa tamen confidet qui genuina credet; Libaui, desine tam apertè falsa in vulgus spargere, artem diuinam his vituperijs contaminare. Senatus in te animaduertet. Ignari rerum & imperiti, te credunt Chymiæ monarcham. tua omnia tutò deuorarent. fraudes tuas pro veritate haberent, præsertim cùm rationes machineris quibus ea tuearis flagitia. Authores medici fucos quidem medicamentorum obseruant, notas & argumenta describunt; sed artificia & adulteria

In his exemplis.

Deffendit artificia gemmarum.

Contendit tantum valere quantum naturales.

omninò tacent, neſcire gloriantur. Tu contrà fraudes doces, notas & modos deprchendendi taces. Rationes tuæ vires naturæ & arti pares concedunt.

Rationes Libauij. *Quod* inquis, *analoga ſint ſeminaria gemmarum & metallorum, quod ſint in eiſdem mineris, & ſæpè metalla contineant, quod eadem ſit creſcendi ratio in gemmis & metallis, quod videantur principium rude ſeminalis virtutis in ſe habere. qualis in plantis perfectior eſt. Quæ compoſitio non pro impoſtoria eſt habenda, ſed pro maxima naturæ imitatione, quod etiam ſint efficaces cùm metalla & eorum calces non ſint ſine viribus.* Hæc ſunt rationes Doctoris tot titulis onerati, quæ vaneſcunt cadaueroſo fultæ fundamento. Putat bonus ille, metalla gemmis affinia, quod calcinata vitrum coloratum ex hibeant & ἄλογος philoſophus, non intelligit, calcinatione omnia in vittum abire, nihil eſſe quod ignis rigore non vitreſcat. Ergo ſi hoc modo gemmæ conueniunt metallis, conuenient & cæteris ſublunaribus; cum calces rerum non ſint ſine viribus, erit concludendum eaſdem habere cum gemmis? Sic erit apud nos Oriens, vnde gemmæ nobis oriantur. Io verò nautæ omnes per Andream Libauium indico vobis quietem perpetuam: procul pericula, Syrtes, Charibdes nauigationum: furnus Libauij, nauis erit: ignis, cynoſura: matratium, aſtrolabium, follis, remes vela: menſtrua, lixiuia, maris ſupplebunt vices: vt effracta naui merces perduntur, ſic effracto, furno, crucibulo, vaſcu-

Confutantur & vanæ dicuntur.

omnia calcinatione abeũt in vitrum.

Ludit.

Io. An-non innuebat Galenus Libauij artificium, cuius magiſter ſimul cum arte in naufragio enatare tutus poſſit? Sic verè Anaxagoras, omnia in omnibus aſſeuerabat. Quæ nugatur de principio ſeminali, de eadem creſcendi ratione, vana ſunt omnia, coniecturæ vanæ. Si enim creſcunt appoſitione, quid-ni interpoſita aliena materia comprehendetur? Differre autem omninò apparet, nec iddem habere ſeminarum; cum in eodem loco, eadem virtute minerali & formante, opus varium emergat: Vnde enim varietas ſi non à materiæ illecebris? non agit in litem exemplum, quod lite reſoluit. Ergo gemmæ Libauij fugiendæ, non pro naturalibus aſſumendæ. *Calces metallorum* inquit, *non ſunt ſine viribus, ergo nec gemmæ quæ inde prodierunt.* Quanquam multa ſint in contrarium, tamen animi gratia ſit ita. An propterea facultates ſimiles aut eædem his & illis? vitrũ antimonij ad rubinum accedit, aliquando ad topaſium: an illę gemmæ eius vim habent? Vitrum ſtanni viride bilem purgat, an & ſmaragdus? cryſtallus hydrargyri mouet ptyaliſmum, an & cryſtallus mineralis? Vitra metallorum tanquam Chameleon quidam, hunc & illum induunt colorem, pro hoc vel illo præparationis modo. ex quolibet poſſis ſaphyrum, ſmaragdum rubinum, topaſium æmulari, an vnicum vires profundet gemmarum omnium? hæc plana ſunt & comperta ſedulis artificibus non his qui ex auditu tantùm loquuntur; Smilis

Differre docetur.

Metalla vitra ponunt omnis coloris.

Non inde ſequitur vires habere gemmarum.

farinæ ſunt ſuccinum, corallum & alia illius capitis.

AD MAGISTERIVM SAPORIS.

CAP. XXVIII.

Vera medicamentorum correctio eſt in ſublato ſapore.



E ſapore multa dici poſſunt, quæ medicum chymicum deceant: pauca ſubijciam quæ ſatis ſint contra aduerſarium. agitur de ſapore medicamentorum ingrato, aut tollendo, aut corrigendo, inuiolata cœleſti facultate purgationis authore. quod verè magiſterij eſt. fit enim ſine molis imminutione ſine auctione, beneficio ignis philoſophici ſuperiùs commemorati. agit naturæ inſtinctu, natura eius virtute eadem facit in nobis circa alimentum, quæ hic ipſe extra nos circa medicamentum: ſanguis dulcis eſt, ex alimentis cuiuſuis ſaporis: tales tamen ſumus quales humores, talis eſt ſanguis qualia ſunt eſculenta & potulenta. Ergo rerum eſſentia nihil participat cum eiuſmodi ſaporibus peregrinis, naturæ omninò ingratis. Dictus ignis naturæ & artificis primarium eſt inſtrumentum, eius ope ingratus omnis ſapor tollitur, quinetiam exuperans omnis qualitas, cacoëthia: quicquid naturæ defecit mediocritatem, ad illam reducitur, ita vt medicamenta & alimenta mutuò commeent, ne dicam venena. Ipſe eſt qui in ventriculo anatis, ſturni, gal-

Tolli poteſt ſublata minimè cæleſti facultate.

Per ignem naturæ.

Tollitur enim in nobis.

In lacte nutricis medicatæ.

linæ, venenata cicurat, quid-ni & in vasculis eadem poterit artificis consilio & ratione moderatus? Sed pergo in reprehensione. Dic sodes, Libaui, quomodo erit magisterium saporis in aceto ex tuis legibus? fit acrius acetum, inquis, phlegmate distillato. itane magisterium? an exaltatione euadit acrius? nonne potius aqueæ portionis quæ diluebat, absentia? aliorum acrimoniam eluis. sapor debet exaltari magisterio, & lotione tollis. Est-ne aceti sapor exaltatus, dum admiscentur peregrina, vt intendatur? Tantùm abes à recto, vt si fraudes & flagitia non doces, imperitè loquaris. Deus bone, qualis ars, quàm malè cohærentibus præceptis est condita! si in humanioribus literis plus non potes, Gymnasiarcha malus es. *Exempla alia magisterij mala & ridicula.*

Magisterium saporis, inquis, *est cum in sapore fit exaltatio. Potissimum autem vsus est in acrimonia corrigenda.* Decebat mendacem esse memorem. Subdis quomodo acetum fit acrius, & nunc acrimoniam corrigis. Hoc & illud vno saporis magisterio. quomodo aliquid emendabis, & exuperans iddem exaltabis? si sapor acris est, si amarus, exaltatione fiet acrior, alioquin non exaltabitur. quid enim est exaltatio nisi ad gradum excelsiorem deductio? Sanè dum hæc scribebat Libauius lagenæ fundum exaltauerat. Vis nihil separari in magisterio, totum manere, nunc lotione tollis acrimoniam, ingratum præcipitati saporem dulcificas? an præcipitatum putas, *Contradictio.* *Ludit.*

ſimplex & ſolitarium naturę medicamentum natum cum illis qualitatibus?

Hydrargyrus ſine ſapore eſt ſine acrimonia. præcipitatus ex ſtygia eius retinet ſales. Dum illos tollis lotione, ita-ne dulcificas? habes-ne aliam præcipitandi mercurij artem ſine ſalibus? ita-ne hallucinatur ſpagyricus, paracelſiſta, profeſſor primarius, magnæ ſi dijs placet Alchemiæ conditor? Sic ſane ſine ratione quiſquilias congeris vndiquaque vt libri moles augeſcat, prætium & æſtimatio defluat. Aqua fortis & eius ſales quid-ni exaltabuntur, vt acriores & ad ſoluendum ſint promptiores? Præcepta artium meliora quo communiora, ſic & metallorum artificibus conſules, vt medicis, quibus ſolis non eſt datum opus. Addis *ſi plane aufferri nequit lenientia admixta ſuccurrunt.* Quid? impotens ars tua acrimoniam aufferre nequit. Vbi verò ſunt magnifica illa Doctoris promiſſa? quibus cœlum tetra mutabat, ſeſſilia donabat alis, volatilibus reddebat conſtantiam, bonum in malum, malùmque in bonum mutuò commutabat. nequis tamen tuis magiſterijs acrimoniam obtundere: ſanè plurima de vera ſaporum natura te latent, quæ ſi reſcires, quàm glorioſus eſſes Thraſo! Qui contra Scholam doctiſſimam Triumphum paraſti, mancus imperfectus ille eſt. Deeſt áſinus Libauius ad tranādum, illum iam annectimus ſuarum impoſturarum plauſtris tanquam flagris cædendum, ad certiorem Pariſienſium victoriam.

Culpatur Libauius de conſarcinatis ſchedulis falſis.

Impotentia artis Libauianæ.

Quæ deſint ad Libauij triumphum.

AD HYDRARGYRI TRANSMVtationem, cynnabaris, stibij.

CAP. XXIX.



VERE dixit Libauius, Mercurium proiectione transmutari. Hæc veritas Libauio incognita non abibit incomitata mangonijs, flagitijs. malè sapientes imitatur. cum vero multa addunt falsa ad celandum. Libauius nec intelligit nec celat verum. pura sunt mendacia. Veterum falsitates innoxiæ sunt, verba sunt sensu vario enunciata. Libauij errores damnosi sunt & capitales. bonum publicum offendunt, quia imposturas malis animis exponunt, discentibus proponit illos. *Dum imprudenti Libauio excidit verum, multa falsa sequuntur.*

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem.
Testa diu.

Sic quæ olim sparsit Paracelsus vix possunt è multorum animis euelli. Sic ergo Libauius hoc caput producit. Elixir falsum substituit vero. Cuius quæ necessitas, si non sunt pares vires? pares autem affirmat, descriptionem videat lector, & de peritia authoris in opere sapientnm iudicet. Nec enim constitui singula Libauij peccata restituere, præstat rogis deuota dare. *Elixir falsum loco veri demonstrat.*

Addit fixionem per aquas aureas argenteas ex forti, quæ si potest dissoluere dictum est. talis debetur fides Libauio in metallicis, *Authores habet sine authoritate.*

Authores habet sine authoritate. quæ in medicis. Citat autem Mizaldum & eius aquam si dijs placet fixatoriam: nutrit liquore vt reducat in metallum: asserit tales labores valere vbi ignoratur veritas. scilicet mendacium mendacio tegitur, vt clauus clauo pellitur, lis ex lite oritur. Dic omnium ignarissime, verum artis dedecus, ad quid valent tua ludibria, nisi ad fallendum? si ignoratur verum quis locus falsitati? Citas Lagnouerum Muffetum cuius describis medicinam, & fatetur ipse author ita fixum mercurium statim redire. *Argentum ex cinnabari culpatur.* Tale est argentum ex cinnabari factitium, talis argenti in aurum mutatio. tui authores omnes paris sunt tecum authoritatis, in re præsertim impossibili, vbi & verum & sapientes repugnant. Authores probati hæc damnant maledicta opera, quos nunquam legisse quis non videt? aut data opera ludis & fallis lectores, vt sit verum quod Del Rio, te insignem esse præstigiatorem. *Damnantur opera à sapientibus.* Vix acriusculè te corripio, alienus mihi est animus à seueritate: Sed quî possim aliter isthæc ferre, artis diuinæ & sanctæ opprobria, in eius ore qui sibi arrogat summum ius, summæ iniuriæ inferendæ? Stibium tandem in regulum mutas, Paracelsi inuocas genium vt credatur metallina arsenici. Nemo nescit sandaracham, ponere mercurialem, imò & sulphureum regulum.

AD METALLA IN HYDRARgyrum soluenda.

CAP. XXX.



VÆ impossibilis est metallorum in mercurium reductio, te docente, ridicula est: debuisti nominare calcinationem metallorum, siue corrosionem. In ea tu teipsum ludis. cum non possit fieri sine mercurio vulgari, ita distinguis. *Dignoscitur* inquis, *ex caudato cursu, si corio exprimatur, manebit metallum, si sublimetur, si distilletur manebit in imo.* Scilicet efficacia hæc sunt conuersionis argumēta, comminuitur hydrargyro metallum, & hoc vocas conuersionem metalli. nunquamne cessabis impropriè loqui? Reductio illa, quàm multi mendaces clamant quam fortasse intendis, impossibilis est, multis de causis. & si fieret non fieret per mercurium vulgi, non est is philosophorum sensus. Vt ex vulgari, non venerunt metalla, sic in eum non abibunt, si eadem sunt constitutionis quæ dissolutionis principia. Nec possunt in ea restitui arte, ex quibus naturaliter coaluerunt. non sunt simpliciter mixta, sed generata. axioma verum est, de mixtis simpliciter de artificialibus, quod erat totius operis clauei fundamentum. Nam mixtilia manent actu, non cum suo actu. In generatione non ita. dum aliquid

Impropriè loquitur de resolutione metallorum.

Impossibilis est reductio.

Si abeunt in mercurium ex eo non venerunt.

Duo illa conueniunt in tertio.

generatur, noua forma producitur, pereunt formæ genitiuorum. generatio est mutatio totius in totum, fit ex actu & potentia. actus destruitur, potentia actuatur. Mercurius, sulphur, dum metallum efficiunt, suis priuantur formis, imò antequam conueniant, metallo generando, debent in aliquod tertium conuenire. proximè ex illis duobus actu distinctis metalla non fluunt, sed ex tertio medio, inter illa & metalla, quod proxima est & coniuncta eorum materia. Tertium illud hermaphroditum dixerunt philosophi, quod marem contineat & fœminam, sulphur & mercurium. si possent reduci, abirent in hoc vnum tertium, minimè in illa duo seiuncta. sic intelligenda est authorum reductio. fiunt inquam metalla ex sulphure & mercurio, sed non ex illis separatis: materia illa eorum vultus refert, sed successiuè, & inter laborandum. dicunt sulphur & mercurium, veluti siccum & humidum, non tamen duo diuersa, sed vnicum, mox siccum, mox humidum, ea est elementorum conuersio: conuerte elementa, & quod quæris inuenies. Ergo impossibilis tua conuersio cum enumeratis conditionibus. Deinde nomine mercurij auditur quicquid est volatile. metalla sunt fixus & congelatus mercurius. vbi fixum fit volatile, tunc inuentus est mercurius, sed id fieri nequit per vulgarem mercurium, ille est ouum venti, nihil potest ad artificium diuinum. est metallum, metalla vulgaria sunt mortua non viua

Tertium illud est subiectum philosophorum.

Redeunt quoque illa in tertium.

Principium eorum est vnum authoribus.

Non duo nec tria.

viua qualia volunt philosophi. Quid si ipsa non intrant magisterium? materia philosophorum est vitæ capax. vita conciliatur per aquam vitæ, non vitis, per ignem naturæ, sine quibus ridiculi sunt tui omnes conatus.

AD MIXTVRAM METALLOrum cum mineralibus.

CAP. XXXI.



HYMICORVM *delitiæ*, inquis, *euidentes sunt magis in æmulatione auri & argenti, & aurum quidem ita ad viuum student exprimere.* Sophista impure, tu vocas Chymicorum delitias quod impostorium est. nisi recantes non cessabo nomine artis te sistere pro violata eius pudicitia & castitate. Sicci-ne arti nobilissimæ patrocinaris? Sicci-ne tuis contumelijs & opprobrijs deffendis? O quam verè dictum laudari ab illaudato viro ignominiosum esse! Artem lædis, dum ornare satagis. Sed videamus exempla, si vero an falso conueniant, vt his calumnijs liberetur. *Quæ delitiæ chymicorum Libauio.*

Quod ad primum attinet. calx ferri per cuprum facta, octiduum reuerberata, non ponet regulum. ferro inest paucum humidum, tali artificio depopulatur. sicque reductio impossibilis. Deinde quorsum argenti cementationes? an vt portio fixetur? at vno solummodo figitur, totum coquitur, tingitur, *Impossibiles sunt descriptiones non solum vanæ.*

perficitur. quod descendit forti illæsum, an propterea aurum? multa resistunt quartationi, crocus, regulus, minium, berillus, talcus certo igne purpuratus. Cuprum si semel aut bis iungatur sulphuri, annichilatur. quæ ergo reductio? Quod sequitur sophisma dignum est consideratione, vt iudicetur peritia doctoris. Calx solis sublimetur cum ammoniaco & reuerberetur. &c. Est-ne sublimatio calcis solaris possibilis? & si sublimatur, quomodo volatilis reuerberatur? Tandem polliceris aurum artificiale: sit fides & aurum penes authorem, nec alio persoluatur Gymnasiarchæ functus officio. Cætera de argento cum cinnabari, cum mercurio fixo, cum cupro dealbato per arsenicum paris sunt prætij, nec minus digna incendio.

Non reducitur crocus martis.

Calx auri non sublimatur.

sublimata.

In magisterio mixtionis liquidorum, nihil est non pharmaceuticum. quare inutiliter ad chymiam transferuntur. integra sunt omnia.

In magisterio ferruminationis nefanda tacere haud potest. oua intoxicat, nec patet maleficium. id fit non sine Italorum infamia. Male natus promiscuè lædit omnes, alios doctrina, alios voce, & scriptura alios. Quod erat Italis secretum commune fit cæteris, vt omnes improbi & venefici instruantur. Respondebis te monuisse vt caueant alij à similibus. tolerabilis quidem monitio, sed quæ moneat non doceat malum. Galenus longè sanctior erat de hæmagogo hæc locutus. Ve-

Veneficium Libauij tacendum.

Caleni probitas maior & pietas.

risimile quidem est multa medicamenta inueniri talem habentia virtutem vt sanguinem trahant: sed taceri rationabile est ipsa sicut alia venenata tacentur, ab omnibus habentibus intellectum. Fuerunt enim aliqui iam & circa hanc doctrinam sine inuidia prodigiosam communionem monstrantes, & scribentes cuiuslibet venenorum præparationes, sed non sunt habentes intellectum qui tales, neque vos si nos interrogatis quæ medicamenta sint hæmagoga. Si rediuiuus, quid de Libauio pronunciasset in venenis & metallicis? *Galeni verba notanda.*

Prodit autem imperitiam dum in quartatione requirit regiam, eamque iterare iubet, ne putetur abusus. Nescit regiam ideo dictam, quod solum regem vulneret: sic ergo soluetur aurum, illæso argento: sic peritus artifex audita pro veris obtrudit: alia multa sunt quæ non placet attingere. sed & incudi reddam experimentum tentatum, scilicet ad authorum mentem. *Ego*, inquit, *reuerberatum puluerem solui aqua regia, solutionem reduxi & elui, successitque putrefactio physica, qua in multam nigritiem fuit corruptum.* Cedo verò authorem qui pro materia aurum, pro igne reuerberium, pro dissoluente regiam proponat. Norunt omnes quam piè talia reijciant philosophi, quam sanctè iurent à talibus abstinendum, abstineo propterea à diligentiore refutatione, credo te potum hæc dictitasse. *Imperitia Libauij in quartatione.* *Mentitur Libauius putrefactionem physicam.* *Contra authores.*

Habet & puluerem qui descendit metallum for-

Puluis fortem restituens vanus. *ti solutum, irretusa forti, ex halouitro & arsenico est.* Mirus verò puluis si hæc potest. quid enim secernet & deprimet metallum? an halouitrum? at iam in forti erat ad dissoluendum: an arsenicum? at soluit duo luminaria. propterea quæ vtilitas fortis eius seruatæ? non valebit ad quartationem. Quid si nolim cum arsenico? Ergo hic puluis de numero eorum est, quæ non fecit, sed audiuit Libauius.

AD MAGISTERIA principiorum & elementorum.

CAP. XXXII.

Principia Paracelsi docet Libauius.



TOTO hoc capite, purè habentur Paracelsica, ne postea mediam viam obganniat Libauius. *Magisterium principiorum*, inquit, *est cum principiatum compositum in principia resoluitur denuo. Principia vero sunt quibus primis, res in quolibet mixtorum genere est facta, quæ quia insunt etiam certam materiam sibi substratam habent, in qua vigeant & cum qua educi possunt.* Paulò post declarat alia esse ab Aristotelicis & Galenicis. Ille scilicet est verus Galenicus qui prima Galeni fundamenta diruit. Spurij sunt Parisienses qui Paracelso & Libauio aduersantur. Iam si accusas hæc principia, ad artem fugiet, dicet vocabula esse arti consueta, principia esse, sed artis, sed modo Chymico enunciata. At enim quid hæc sibi volunt.

Accusantur & exploduntur.

Principia ſunt quibus primis res in quolibet mixtorum genere eſt facta. An res illa facta eſt Chymicè, ex his principijs, vt chymicè in eadem redeat. Non putem, agitur enim de conſtitutione rerum naturalium, déque earum laboribus medicis. Natura res ſuas facit modis arti incompertis. Quod artis attinet momenta, ſupra demonſtratum eſt te non eſſe aſſecutum mentem authorum probatorum, vt inde tuum artificium munias. Ea non ſunt Alchemiæ principia quæ tu proponis, quæ habet Paracelſus eiuſque mancipia. longè aliter ſe habet iſta veritas. Sanè verum ſemper eſt vniuſmodi, falſum mille modis oſtenditur. Libauius chameleon eſt, mutatur ſingulis momentis, alius omninò eſt triumphans, alius artis conditor. In triumpho à Schola edoctus ſic ſibi aduerſatur in arte. *Quæ principia eliciuntur ex ſimilaribus non ſunt illa ex quibus tanquam materia ſumus nati & nutriti: deberent autem ſi vt elementa concurriſſent. Veruntamen quia eliciuntur poſtea ex humanis membris diſſolutis in elementa, talia magiſteria non negamus ea in nobis fuiſſe, ſed alio modo quàm dicunt Paracelſici.* Quaſi verò membra humana diſſoluantur. ſic-ne decet primarium profeſſorem impurè loqui? ſolum mixtum diſſoluitur, quia mixtioni opponitur diſſolutio. generatum corrumpirur. vt partes cadaueris. an ſimilaria ſolum mixta ſunt uon generata? an generata diſſolui non corrumpi debent? ſi corrumpuntur, aliud generatur, puta ſal, ſulphur,

Non intelligit authorum ſenſum in principijs.

Inconſtantia Libauij.

Contradictio.

Impura locutio.

Alio modo generata.

Alio mixta.

mercurius, oleum, ſal, aqua. ſi hæc tria generata ſunt ex ſimilarium corruptione chymica arte, non erant illa in ſimilaribus niſi poteſtate: ſed de nouo emerſerunt actuata illa ſimilarium diſpoſitione. De his plura in axiomatis explicatione.

De elementis. *Falſo plura eſſe quatuor. Non octo, nõ interna.* In magiſterio elementorum, quot monſtra ſunt philoſophiæ! ita-ne decet philoſophum adeptum, Ariſtotelis Cenſorem, & Ramæum interpretem? Elementa habet interna & externa, mixtionem internam & externam. quod externum eſt interni vocat veſtimentum, vas lagenam vinum continentem. *Ludit.* Homo vino aſſuetus, inter lagenas & vaſa vinaria philoſophicè educatus perpetuò diſtinguit continens à contento: odit ille ſynecdoches illas quæ lagenas pro vinis propinant, corticem pro medulla, corpus pro eſſentia. Licet Theologis animam à corpore diſiungere, formam à materia, medicis non licet. Homo ſanatur, non corpus, non anima, ſed vtrumque: actiones phyſicæ ſunt ſuppoſitorum. Quaſi verò cortex aliam habeat mixturam à nucleo, & ex alijs elementis? quaſi medicamentum eſſet organicum, non ſimilare? Non ſunt hæc puerilia, ſeriò *Non aliter medulla miſcetur atque cortex.* confutanda: non ſunt tam malè collocandæ bonæ horæ, non ita abutendum otio philoſophico, non lectorum patientia. Liceat tamen his paucis hæc elementa rurſus tundere & incudi reddere.

Alia ſunt elementa, inquiunt, à commu-

nibus: contininent quintam essentiam, qua viuunt, qua animantur, qua supra vires vulgarium ascendunt. Habent præterea istud cœli defluuium, quo tanquam astro agunt. Est autem illud elementum præstãtius arti in quo illa essentia hospitatur. cui adiuncta laborando habetur. cætera si carent negligun-tur. Certis autem delectatur illa, nec promiscuè sociatur omnibus. Cum vini volatico spiritu volat: In salis fixitate aceti sedet: propterea non laudatur illa mixti separatio in quatuor elementa. In corpore physico similari, vnicum est totius thesauri custos. Quomodo ergo & vbi tria? satis est de toto cor-pore vnicum habere, totius virtutum potens. Quintæ tamen essentiæ laborem, pluribus tribuit Libauius: quod vno capite concludi potuit, in multa dispescit: vnum & idem docet capitibus de elementis, de principijs, de extractis, de mysterio, de arcano, de quinta essentia. Nam si illa essentia solitaria nec venit, nec nascitur, nec extrahitur; si est ab elementis inseparabilis; si nec tangi, nec haberi, nec sumi potest, sine elementorum consortio: quorsum tot capita tradita sunt? tyronum animi sic obruuntur, non leuantur, læduntur, non iuuantur. Doctiùs Fernelius demonstrauit in omnibus esse aliquid elementis præstantius, quod nesciat corruptionem. Si quinta essentia facit, vt hospes excellat aduenis, vt communia plus possint quam si solitaria, & ea

Si sunt elementa quæ dicunt.

Elementa artis.

Quibus essentia sociatur.

Vnam essentiam in quatuor capitibus descripsit.

Sic multiplicantur entia.

Imitandus erat Libauio Fernelius.

virtute orbata essent, cur distinguntur elementa à principijs? ab essentia? vna materia vnum subiectum, ab elementis est: vna essentia à cœlis: cur tam variè enunciantur? Si elementa per se inefficacia cur de illis seorsim? Quæ describis elementa, eadem sunt cum principijs alterius capitis: eadem cum laboribus quintæ essentiæ: differre facis quod mox denomines à materia, mox ab essentia: nec tamen communia retineselementa à quibus ista materia. Cedo verò tua principia, sal, sulphur, mercurium: nonne corpus habent ex elementis communibus? nonne in ea resoluuntur? sal in aquam abit, sulphur in aërem in ignem: imò sulphur est aëreum cùm ignis sit alimentum, vt pinguia, vt oleosa, & aëria omnia.

Libauij elementa & principia eadem idest falsa omnia.

Elementa illa ex vulgaribus sunt & in ea abeunt.

Obiectio Libauij.

Dices tua esse efficaciora communibus & vulgi, latere in tribus quidem subiectis, quæ illo triplici vultu patent proprijs laboribus: at esse inuisibilia, insensilia, spirituosa, viua, formalia, astralia. Vno verbo non vt elementa concurrere ad mixtionem, non esse pro materia mixti, non esse materialia, sed formalia. Quasi vero Aristoteles & Galenus elementum dixerint quod sola constet materia, quod sit inefficax, cuius non sit sua essentia? Respondebis iterum te velle elementa materialia & formalia compositi. Hæc ab illis esse distinguenda, arte hæc & illa exhiberi: illa externa sunt, hæc interna, talem & eorum mixtionem esse. Sic ergo formæ rerum ex

Responsio.

pluribus erunt, in plura ſoluentur. Non erunt ſimplices, ſed compoſitæ, non in inſtanti, ſed per partes, & in tempore generabuntur. Nullum erit corpus ſimplex & ſimilare: ne ipſa elementa vulgaria: quorum tamen vna eſt & ſimilaris actio: Non cœleſtia corpora; non angeli: cum velis & illic hęc tria conſcendiſſe. Mitto iſthæc philoſophiæ flagitia: aliam enim te habere dices philoſophiam ab Ariſtotele. Ergo ex te ipſo, ſic vrgeo. Iſta eſſentia nonne ſimplex eſt & vniformis? ſi affirmas, vnica erit & eius vnicum principium, vnicum elementum, non triplex. Ita autem placuiſſe authoribus Chymicis ſupra demonſtratum eſt. Si non eſt cœleſtis, vt coactus reſpondiſti Riolano, qualis illa erit? in examine enim, in Triumpho, nihil agnoſcis cœleſte. Cœleſtem dices eſſentiam analogicè tantum & per excellentiam: ſed analogia, excellentia, artificium, poteſt-ne mutare genus? Rides Riolanum cum Fernelio calorem Solis nominantem. Negas quicquam à cœlis dimanare. Alibi tuis laboribus eſſentiam facis, rei ſubſtantiam elementarem, in eam adducis præſtantiam quæ cum cœleſti decertet. longè ſuperare priſtinas vires. Ex omnibus mixti partibus illa eruitur quæ vna omnium virtutes contineat: non aliter ac Auicennæ temperamentum quo quinta qualitas ſignificatur, ex omnium conſpiratione nata, vires omnium eminenter continens: ſic dicitur in antigrammanijs, mixti eſſentia, non eſſe niſi mixta.

Abſurditas Libauij.

Ex ipſo Libauio confutatur Libauius.

De eſſentiæ natura ſi cœleſtis an artificialis.

Auicennæ temperamentum.

Plura ſunt capite proprio ſupra. redeamus ad penſum.

Magiſterium elementorum, inquis, *est cum mixta in ſua reſoluuntur elementa.* Hoc capite quæcunque continentur ad ſeparationem pertinent, non ad magiſterium. Nomen ſucci reijcitur: elementa artis & naturæ adorantur. illa his analoga dicuntur. ſed quæ analogia ſucci cum elemento? Soles humores reijcere, quod trium ſubſtantiarum vnicam exhibeant, ſit ſolus liquor. aliter-ne ſuccus tria elementa dabit? Et quis erit ordo, ſi quæ elementi vultum retinent, pro ipſo ſumuntur? ita-ne aqua fortis ſtygia aqueo elemento datur? ſic elementum aquæ dicis vinum, aut aquam muſti. talia ſunt exempla, ſic in oleo, in lacte, in ſuccis expreſſis. butyrum erit aër aut ignis lactis, caſeus terra, ſerum aqua. ſed vbi hîc magiſterium?

Impropria Libauij locutio.

Contra magiſterij naturã.

Pergis in nugis. *Elementa ſubſtantiæ ſunt magiſteria elementis naturæ analoga, diſſolutione interioris mixturæ facta.* Verba audio, nullam video demonſtrationem. Cui bono octo elementa, duæ mixtiones? ſcilicet Deus naturæ alia fecit Libauio, alia mundo. fecit quatuor nobilia interna, quatuor ignobilia externa. Quibus monſtris cogitur iſta locutio. *Eſt hic quædam diſceſſio à phyſica.* Et quo authore diſcedis? cur tuas nugas ſolidæ philoſophiæ anteponis? quaſi Ariſtoteles ſine demonſtratione ſua dederit vt tu tua. Tu fortaſſis αὐτόπιςος, tu alter Pythagoras. Cedo verò octo tua ele-

Ex Libauio creatio imperfecta accuſatur.

Sine authoritate ſine ratione.

menta, cedo & tria principia, in vnico indiuiduo. cum enim insint, vt supra dicebas, haberi necesse est & prodire. Vinum separatione, dabit spiritum purissimum, simplicissimum, dabit phlegma aquosum, oleum aëreum, cinerem terrestrem: quatuor hæc omninò sunt, non plura, non pauciora. Labora quantum voles. plura nec alia obseruabis. alcalia ad spiritum & aquam pertinent, pinguedo ad oleum. hæc enim duo in tartaro sunt, vbi ergo interna & externa elementa? Vbi duplex mixtio? An internus spiritus, quod lateat demersus cum luxuriante phlegmate? At hic solus igni respondet, momento ignescit. An alcalia liquore dissoluta, nec manifesta oculis, interna dicentur? An & suis reddita sunt elementis, & vnam vini mixtionem constituunt, cum cæteris? Non est vinum duplex, sed ex illis vnum.

Exempla confutant doctrinam illius.

Quod ad principia attinet, ridicula sunt si alia seipsis priora habent: inutilia si nihil ab elementis diuersum gerunt. Imò verò & hæc ipsa, duplicia norunt elementa. Bone Deus quis ferat ista deliria, nisi spes esset reducendi ad materiam primam Libauij, ad primam doctrinam, ad Galenismum. Erit ergo in similaribus mixtio multiplex, vna principiorum, altera elementorum nobilium, tertia ignobilium, principia enim misceri alibi dixit. Quid si examinentur ad mixtionis leges? Quid est mixtio? *miscibilium alteratorum vnio.* Qualia sunt mixti-

Principia ex alijs fiunt.

Mixtionis diuersitas reijcitur.

lia ? contraria. Quomodo ? qualitatibus. Quando vniuntur ? cum mutua pugna qualitates conuenere. Eſt-ne mixtio ſubſtantiarum ? minimè, quia expertes contrarietatis, vniuntur ſolùm : mixtio eſt qualitatum, vnio ſubſtantiarum. Sic vnius rei, mixtio vna, non plures : non eſt abſoluta, niſi ſubſtantiæ vniantur, repreſſis qualitatibus : totorum elementorum eſt : non eſt vna ſubſtantiæ, altera qualitatis ; ſed amborum vnica conſummata. Si labores in aliquo medicamento, non poteris monſtrare tam multiplicia elementa, non illa principia, non eiuſmodi mixtiones. Solo nomine tua principia à tuis elementis differunt : imaginariæ ſunt eorum mixtiones : Varij labores varia oſtendunt opera : materia elementaris, in varios vultus eſt mutabilis : non decet iſta tam varijs locis explicari. Docendum paucis ; plura capite de principijs Chymicorum, & in axiomate explicato.

Reuocatur Libauiana mixtio ad veram.

Labores Libauiani hæc dicta non conuincunt.

DE EXTRACTIS.

Cap. XXXIII.

Impura definitio extracti.



VÆ & qualia ſint Libauij extracta dictum eſt capite 12. placet tamen incudi reddere. *Extractum*, inquit, *eſt quod è corporea concretione, relicta craßitie elementari extractum eſt.* Vetat philoſopus definire per homo-

nyma, quantò magis per tranſcendentia, quæ ſunt extra genus? Definiendum genere proximo. Hîc vbi eſt? quod, relatiuum, quid refert? quid inquam, extractum eſt exrractum? Prolixus eſt Libauius, in fabuloſis & anilibus. hic hæret ſiccus. Nec ſatis id fuit, adiecta eſt & altera ταυτολογία. Quid enim corporea concretio, ſi non eſt craſſities elementaris? dum extrahitur è corpore iſto, corpus illud relinquitur viduum extracta portione. cur ergo additur, *relicta craßitiæ elementari?* Quaſi diceres vinum è lagena extraxit Libauius, relicta lagena. diſce philoſophicè loqui. Explicatiùs ſubdis. *Extractum eſſe partem nobilißimam & quaſi medullam ſubſtantiæ totius in elementis productam.* Dixit Libauius totam ſubſtantiam tribus illis principijs aut elementis deſignari: nunc aliam habet huius ſubſtantiæ medullam: tota hæc ſubſtantia, alia habet adhuc indumenta, habet partem nobiliſſimam. Illa eſt, medullæ ſuæ cortex, eſt ignobilis portio nobiliſſimæ. Vtinam nobilis eſſet tuus animus, Libaui, nobilem artem non ita deturpares. nunquam-ne ceſſabis, nobile & ignobile inculcare, internum & externum? Ex te ſupra concluſimus octo elementa, nunc alia octo adhuc adijcis. ſcilicet cùm hæret lingua palato, cùm orationis riuus abſumitur, ad nobile & internum confugis. ſic mercatores noua pharmaca è longiquo aduecta, iurant contra venena, contra peſtem & ſimilia valere. Addis, *habere quidem radicem ex elementis, ſed*

ταυτολογος.

Ludit.

Superfluæ locutiones.

Faſtidioſa nobilis & ignobilis repetitio.

principaliter à vi creantis Dei. Ignare, vnde elementa communia hausere facultates, si non à Deo Creatore? Dic quid velis? sic delirant qui a veterum præceptis discedunt. Quasi Deus tuam medullam, tuum extractum solummodò crearit, elementa sint increata. Lepida scilicet est huius substantiæ distinctio ab elementis. Dic mihi, Paracelsista absolutissime, non-ne elementa suas vires à benedicente Deo obtinuerunt, & creatis & generandis omnibus, postea elementorum nomine & munere communicata? obtinuerunt elementa vt ex illis mutuò coëuntibus hoc & illo modo, hæc & illa nascerentur. Naturæ, sed Dei fuit imperium, generalibus his mundi parentibus datum. Altiùs ascende, & melius philosophare. Deus talia dedit elementa. Sed vt essent ἑτεροκίνητα, non agerent nisi concitata, & ab alio impulsa. Cœlum fecit sed ἀυτοκίνητον per se & semper mouetur. Ex hoc, & illis media fiunt sublunaria, quorum natura vtriusque est potens, Est principium motus & quietis. actiuum & passiuum. sublunaria nihil habent aliud præter quatuor elementa, & hoc quintum. hoc & illa à Deo vno facta sunt. Natura est Dei imperium creatis omnibus impressum. Leges naturæ vniuersali indixit, author naturæ, quibus non iam creatione, sed generatione singula perpetuaret. Is est naturæ ordo, is scopus, illud imperium & officium, quod creando

Quid Deus in Creatione de elementis.

Creata voluit Deus natura moderari.

Natura constat mouente & mobili cœlo & elementis.

Deus dedit primogenitis cœlo & elementis. Idipſum natura generando tradit poſteritati. Ergo vt in illis, ſic in his inſunt ſubſtantiæ. Cœlum, elementa, mixta, generata, his illis non aliter præſtant, niſi quod à natura ita comparatum eſt. Creatum olim, iam generatum, ali poſtulat. vegetantia motum ad locum non habent. ad extra non expelluntur inutilia nutritionis excrementa. illic ſubſiſtunt, genuiniſque obſunt facultatibus. Et hæ ſunt fæces, hæc craſſamenta, quæ naturæ & artis coctionibus decernuntur. Non quod alia habeant ignobilia, alia nobilia elementa, aliam mixtionem. Non erat tam impurè philoſophandum. Vnus & idem eſt foris & intus ignis elementaris, vna terra, vna aqua aër vnus. Externus non differt ab interno, non eſt quidam ingnis ſubſtantiæ alter qualitatis. Quidni iam de te pronunciabimus quod tu ſolebas de magiſtro Paracelſo, tibi familiare eſſe delirare, non aliter abſolutus fuiſſes diſcipulus.

Cœlum & elementa ſunt mundi primogenita.

Vnde fæces rerum & magmata.

Vnus & ignis elementaris.

De ente verò quid aliud eſt quàm proximum cuiuſque generationis principium. illud ſubijcitur artis laboribus, nunquam extrahitur vt malè opinatus es.

Quid ens & eius labores vani.

Quæ habet caput ſecundum ad pharmaciam pertinent. puriùs apud proprios authores deſcribuntur & nominantur. Non ſunt huius loci.

Fundamentum extracti & magisterij nomine dirui tur.

Quæcunque præterea dicuntur hoc extracti fundamento destituta, sunt aut inutilia, aut alijs modis tradenda & explicanda. Possunt omnia vnico aut duobus capitibus concludi. Quorsum enim ens primum, mysterium, arcanum, essentia & similia? Non erant Paracelsi deliria adeo veneranda. pereant potius cum sui authoris memoria. Si quid habent boni, detur pharmaciæ enucleandum. Differunt Pharmacia & Chymia secundum magis & minus, quod labores sint absolutiores, & præparatio accuratior. An ita different specie? Explosis ergo duobus fundamentis Libauiani artificij, magisterio & extracto, exempla eorum nihil rectiùs poterunt. Possem sanè conuincere, singula confuse explicari, impropriè in classes distribui: sed plus satis. Nolim tamen extractum reijcere, sed velim Chymicum: laudo labores chymicos, sed qui sint tales, non adulterati, non ementiti. Ea habeant quæ pollicentur; polliceantur quæ possunt; talia demonstrentur, sint cita, tuta, iucunda. At capite particulari demonstrauimus Paracelsica & Libauiana, vulgaria quidem superare, sed cacoëthia & immoderata omnis generis qualitate. Pereant ergo illa nec posthac obseruentur. Tantum de Paracelsia Libauij.

Ergo & totum Libauij artificium.

Soli Deo laus honos gloria.



HISTORIA PERSANATÆ Mulieris Læproſæ.

CAP. XXXIIII.



GEDVM, Paracelſiſta abſolutiſſime, adeſte & ſingula Monarchæ mancipia. Soletis rationum robore confecti, demonſtrationum neceſſitate deuicti, ad experimenta prouocare Dogmaticos Hippocrateos Galenicos, ad veſtra vero experimenta ſemper inania, fallacia, & deluſoria. Proſtant centones curationum ſcripto, non facto editarum. Iam vos rationibus ſuperatos ſiſtit Schola medica Pariſienſis, per magiſtri veſtri chariſſima numina Plutonem Tartareos Dæmones, Homunciones, Moriones, & talia ludibria, vobis omnibus diuina & hieroglyphica. Placet congrediamur, agamus experimentis, opere præſtemus quod vos verbis eſtis polliciti. Vt omnes intelligant vtrum Pariſienſes præſtent Libauianis, Paracelſicis. Vos pro more verba dabitis à mendace & verboſo magiſtro edocti; nos diuino fulti auxilio ſanitatem reſtituemus, nulla pollicitatione adſtricti, ſed in Saluatoris miſericordiam confidentes.

Præceps præceptor Paracelſus, gloriatur de curatis, ſi non ſanatis aliquot ſcabioſis non læproſis, non elephanticis. Indoctus ſcilicet magiſter, in artis operibus haud verſatus, ex muſca fecit Elephantem, pſoram, ſcabiem profundam, imò ſimplicem impetiginem pro læpra Arabum pro Elephantia Græcorum habuit, cutaneum affectum pro abolita altrice, argumentum victricis naturæ, pro corrupto & omnino putrefacto Iocinore, pro perfecta Elephantia credulis aliquot fautoribus expoſuit. Cedo enim Medicorum teſtimonia? cedo commemoratorum affectuum domeſtica argumenta? Circunfertur quidem Epitaphium cum iſto elogio de curata læpra, podagra. Sed ſi podagra, qui fit vt arthritide dilaniatus, antè quinquageſimum ætatis annũ deceſſerit? Scilicet propriæ doctrinæ proprius martyr, libros ſuos de vita longua lethi ſigillo obſignauit. Aſclepiades ſponſionem feciſſe dicitur cum Fortuna, ne medicus haberetur ſi vnquam ægrotaret. Quantò magis ridenda vita longa eius qui tam cito terminauit! Inanis enim eſt P. Cahietani coniectura, a quodam Paracelſi eidololatra accepta, de eodem ſuperſtite, & in viuis adhuc degente. Adeo inſolenti erat vitæ genere, vt cælari diutius vix potuiſſet homo viuus.

Sed ſit ita. Verum ſit Epitaphium. Eritiſne degeneres diſcipuli? Nonne diſcipulus ſupra magiſtrum? Poſterior dies eſt magiſter

prioris. *δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι.* Efficite quæſo vt per vos erudiamur. Datæ artis collapſæ, iam veſtris numinibus reſurgentis, aliquot vocalia teſtimonia pro fulcris. Itane tacebis, Libaui, ſi calles Sapientum magiſterium? ſi lapidem Philoſophorum tenes? Tenes autem quia deſcripſiſti ed rhombum. Tu azoton, tu mercurium, tu lapidem habes, qui factus es in caput Gymnaſij, reprobatus ſcilicet ab ædificantibus id eſt ab alijs medicis. Quorſum enim propriam profeſſionem in pædagogium tranſmutaſſes, infœlix tranſmutator, niſi collegæ te tanquam *νεκρώσει* infectum à medico corpore reſecuiſſent? An ea eſt vis tui Lapidis quo medearis iuuentuti erudiendæ non morbis? Vtinam ferini tui mores aſperitatem depoſuiſſent eadem virtute manſuefacti, At bellatoribus addit animos, audaciam, & fortitudinem conciliat vt dicebas ad Lullium & Arnaldum. Hinc tuorum diſcipulorum minimus vt ſcribis, ſexaginta Heraclidas Doctores Pariſienſes purpuratos, & coccinea amictos chlamide veneranda canitie ſpectabiles, morborum Lethalium victoria inſignes, vno flatu diſijciet, vno hauſtu deuorabit quaſi lagenas pileatas. Quid vero magiſter Libauius, cuius inexhauſtum conuitiandi ſtabulum ipſo Hercule citius poſſit Antheum proſcindere, & maledictis ad necem vſque inceſſere?

Placet, inquam, quid valeat vterque noſtrum experiri. Prouocatur ergo magiſter Li-

bauius ad peritiæ momenta. Sed ſi vincitur, quò aufugient diſcipuli. Si minimus Doctor Pariſienſis ea poſſit quæ nunquam Libauius cum toto ſuo exercitu, Licebitne Pariſienſibus de Libauiaſinis triumphare ? Libauium triumphum parantem, ſui triumphi ipſiſſimum vectorem Leopardum Struthiocamelum Elephantem aut ſi quod grandius & rapacius animal deſignare ? errorum ſuorum flagris, conuitiorum plauſtris ad citandos greſſus cædere? Veni ergo, Libaui, vide, vinceris, non vinces.

Proponitur Elephantica 45. annos nata toto decennio, morbo infami, crudeli, omnium maximo, Læpram, Elephantiam dicunt, laceſſita. Morbi variæ ſpecies ex malitiæ gradibus ſolent aſſignari : Hîc gradus omnes, omnis ſpecies ad morbi victoriam patent. Ex cauſis, bilis atra omnium deterrima eſt, ſummum eſt venenum quo guſtato inſecta moriuntur, pereunt inſita terra in bullas attollitur. Quæ maleficia Plinius de menſtruo, ab illo ſunt humore. Inde tamen oriundum affectum, ſyndrome ſignorum & turba conuincit. Nullum vidiſſe affirmauit orbis medicinæ Altinus, cum iſta ſignorum omnium propriorum & communium caterua. Duretus verè ἰσόθεος, ſi vnquam alius, ex ſolo conſpectu confirmatum affectum pronunciauit. Peritiſſimus Renodæus ratione, manu, oculo, omnem ſuſpicionem in certitudinem mutauit. Chyrurgi togati & non togati plurimi

idipſum teſtati ſunt. Sed omnem ſuſtulit dubitationem, ſanguis tunc temporis detractus, putridus omnino & corruptus, ſine fibris ſeroſus & verè aquoſus grandine tamen miliari plenus. Cacoethia atrabilarij humoris extra & intra vaſa redundantis, pilorum radices rodendo, depilauit ſupercilia cilia palpebras, canos fecit crines iam à multis annis eoſque tenues molles raros; vnde vulpina ſpecies ſiue primus gradus. Tum cutis extima ſoluta in ſquammas ſubiecta caro liquefacta exuuium ſerpentis refferebat. Frons palpebræ in rugas contractæ, Tota facies tuberibus craſſis numeroſis integris & vlceratis deformis, labra craſſefacta, naſus ſubtumidus vlceribus exaratus, pinnæ foris intus dilaceratæ incraſſatæ, oculi in rotundum acti, igneum micantes, in ſupercilijs laxis tumoribus onuſti, malæ craſſis tuberibus pugni craſſitie præditæ mentum fiſſuris putrilagine manantibus dehiſcens, & ex tuberculo oui magnitudine pendulum Leoninum vultum & aſpectum eximiè refferebant. Aures autem recuruæ marginibus contractæ velutique conuulſæ tuberibus quoque aſperæ, conſumpti totius coporis muſculi; maximè hypothenar & ſcapularij, thoracici, deſcriptæ faciei adiecti alatos Satyros deſcribebant vnde Satyriaſis. Pectus & corpus vniuerſum grandine elatiore conſperſum, cutis tota quanta eſt grandinoſa aſpera liuida plumbea craſſefacta, brachia crura tibiæ varis grandi-

bus inæqualia, pedes manus eorumque digiti profundis admodum vlceribus ſanie putri fœtida illuuie fluentibus dilacerati Elephantiam veram & confirmatam pronunciabant. Adde linguam flammeam rimis fiſſuriſque dehiſcentem grandine ſuſque deque infectam, halitum fœtidum ex ore patulo expirantem, vocem raucam feréque nullam, deglutiendi ſummam difficultatem qua per biennium integrum ne tantillum carnis aut panis etiam in iuſculo tenuiſſimè infriati deuorare licuerit.

Hæccine tibi Elephantica videtur, Libaui, Et illa tamen Hermeticorum tuorum remedijs toto triennio fuit fatigata cum maximo ſanitatis diſpendio, aucta cauſa, exaſperato malo feréque deuicta natura. Tu audaciſſimus audebis ne ſalutem polliceri? poteris & præſtabis ſi vera es commentatus. Pariſienſes tamen Medici, quos tuæ Alchemiæ ignaros nihil poſſe iuras ipſiſſimam perſanatam oſtendent, magno & inuicto artis quam profitentur ſpecimine, admirando teſtimonio.

Curationem auſpicati ſumus ab interiori labe. Sapienter enim monebat Archigenes, non naſci morbum ſed perfici cum foras ſe prodit. Radices intus ſunt, cauſæ deliteſcunt, ex quibus ſordent interna. Primus ergo labor fuit radicem intus agentem præcidere, quo facto ex voto ſuccedunt cætera. Dedimus imprimis aurum potabile exuberatum,

ſupra ſphæram exaltatum nec reductile, quo roborata natura virus totum in cutem expulit. Dixiſſes variolis deturpatam cutim vniuerſam, adeo crebra erant exanthemata. Metus fuiſſet excretionis ſymptomaticæ ab aucta cauſa; ſed criticam potius, & bonis ægræ rebus molitam naturæ robore, conuicit euentus, & ὠφορία. Secundo enim die, in totum euanuerunt exanthemata & interiecta ἱδρῶα, Plinij ſudamina. Tum & Alexandri Suctenij antimonium non vulgare quidem exhibeo. Ex quo reſtituitur appetentia, loquella redditur paulo firmior. Deglutitio fit facilis, caro, panis, deuorantur nullo tædio. Tandem pars tuberum abſumitur. vlcera ſiccantur nullo topico adhibito. cutis plumbea craſſior ſquammoſa defluit, renaſcitur alba, mollis, æqualis. Perſtant grandiora tubercula faciei & manuum; ſi morbi morem ſpectes, tot cancri occulti. Quidni enim cum Elephantia ſit cancer totius corporis? At paucis diebus vt & ſubcutanea totius corporis grando, in ruborem aguntur purpureum, dolent vehementiſſimè ex tanto ardore. Tres noctes ducuntur inſomnes, Tandem die tertia miteſcunt omnia, prorſuſque delentur vari exiliores, & parua tubera reſoluuntur, foſſæ relinquuntur, impreſſa tumorum veſtigia; cauum tumoris elationi reſpondet. Miror ego has molitiones. Conſtanter iubeo vſum continuum remediorum. Grandiora tubercula quæ ſuperſunt, cathæ-

reticis absumo, vlcera impressa alioquin telephia cancrodea insanabilia, nullo negotio clauduntur cicatrice, sola naturæ bonitate. caro sæpius retardanda est, insperso alumine donec decens figura restituatur. Certissimum argumentum deuictæ intus & superatæ causæ, quæ nullum possit morbi recrudescentis opprobrium. Sed eo adhuc maius asseuero, quod sanguis quem experiundi causa detrahi curaui, sit admodum purus, tantaque soliditate, vt vix ac ne vix quidem dissolui potuerit, nullis granulis reffertus, sed fibrosus omninò & qui iecoris robur testetur. Secundus labor est in expurganda cute externa, in auerruncandis tuberibus, qui extra vasa & in habitu concreti non ita possunt discuti, introsumptis. Topica & corporeum contactum postulant. Multa & prægrandia tubercula quum sint, & in partibus nobilibus, methodicè & cum summa cautione delenda sunt, nec adeo breui tempore. Monent Sapientes Elixiris virtute morbos vnius mensis vna die curari, vnius anni vno mense. Quid erit de hoc omnium maximo qui solet & connasci & commori ægris? quid inquam si desideretur illud elixir frugiferum? Si adsint sola vulgaria præsidia, sed chymicè idest ex veterum præceptis diligenter elaborata? Sanè si decantatum lapidem haberemus morbus omnis vnico mense vinceretur.

Hæc nos, Libaui, vt intelligas quid possint Parisienses etiam ignari tuæ Alchemiæ.

Huius

Huius notitiam ignorãtiæ tribuunt, vt mendacium impotentiæ, tuam ſcientiam inſcitiæ. Gloriantur neſcire ea quibus peiora omnia veniunt. Sic eam Spartam quam nacti ſunt exornant, ſic ſuæ profeſſioni magno ſunt ornamento: Nunquam tuo exemplo ex hoc honorario puluere ad ſcholaſticum redeunt. Quid poſſes commentari laude dignum in morbis in medicamentis, cum ſemel in anno vnicum fortaſſe morbillum curaturus haud voceris. mihi crede artem experientia fecit, inexperientia caſum. fortuitum id omne quod moliris. Abſtine ergo otioſe magiſter, à calumnijs quibus ordinem virorum celebrium aſperſiſti. Cogita quo iure tua vituperarint. Exiſtima Alchemiam veterum illis in ſummo eſſe prætio, tantum abeſt vt calumnientur, cum tuam impoſtoriam reprobant.

M

Non licuit authori per occupationes in ægris inuiſendis Typographi Lapſus emendare. reſtitues, ſi placet, antequam opus videas, alios excuſabis. P. paginam. L. lineam indicat.

Epiſt. ad lecto. p. 2. l. 15. adde Pariſienſibus. l. 19. verterat. p. 6. l. 2. diſcrimen. p. 3. l. 1. ægrotantium. P. 1. l. 5. Idea. l. 6. cap. p. 2. l. 17. *μαλακῷ.* p. 3. l. 3. non localis. p. 4. l. 2. omnium. p. 11. marg. *conſequar.* p. 24. l. 24. conſeruationis. p. 30. l. 17. *χοληδόχου.* p. 42. l. 19. dele enim. p. 44. l. 20. adde? Et. p. 51. l. 1. mobiliſſimum. p. 62. l. 24. maior eſt. p. 81. l. 9. habeant animo. p. 110. l. 14. phlegmonas. p. 102. marg. *non medicamentum.* p. 119. l. 28. *ἀποδείξεις.* l. 29. maieſtas. p. 120. l. 3. *ἐντελεχοῦνται.* p. 126. l. 7. coloris. p. 128. marg. *eſt inefficax.* p. 129. l. 16. intellexeris. p. 145. l. 14. impoſtorũ. p. 158. l. 20. *αὐτοκίνητον.* p. 83. *ὁμογενὴς.*
In præfatio, p. 8. l. 24. collyria.
In hiſtoria p. 8. l. 15. quæ l. 16. concreta.

EXTRAICT DU PRIVILEGE du Roy.



ENRY par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, à nos Amés & feaux Conseillers, les gens tenans nos Cours de Parlement de Paris, Roüen, Tholose, & Bourdeaux, leurs Lieutenans & à tous Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Nostre bien aymé DAVID DOVCEVR, marchant Libraire juré en nostre Vniuersité de Paris, nous a fait remonstrer qu'il a recouuré auec grands frais, vn liure intitulé, *Lapis philosophicus Libauium restituens, Auctore D. Palmario Doctore medico Parisiensi,* lequel liure il desire imprimer & mettre en lumiere, mais d'autant qu'il luy a cousté desia beaucoup, & coustera encor d'auantage pour dresser ladicte coppie, Nous pour ces causes & autres considerations à ce nous mouuans. Auons de nostre grace speciale, pleine puissance & authorité Royalle par ces presentes, donné permission audict DOVCEVR, d'imprimer ou faire Imprimer ledict liure, faisans inhibition & deffence à tous autres Imprimeurs & Libraires, de quelque part qu'ils soient d'imprimer ou faire imprimer ledict liure, sans congé & permission dudict DOVCEVR, durant le temps & terme de six ans, A conter du iour qu'il sera paracheué d'imprimer, sur

peine de mille liures d'amande, dont la moitié nous appartiendra, & l'autre moitié audict DOVCEVR, & tous despens, dommages & interest enuers luy, & aussi de confiscations de tous les exemplaires, nonobstant lettres, oppositions ou appellatiõs quelconques, pour lesquelles ne voulons estre differé l'effect de ces presentes, tel est nostre plaisir. Donné à Paris, ce 17. Decembre 1608.

Signé de COMBAVLT.